
Jo. Jac. GRYNÆUS
Epistolæ sunt
~~X~~. XXXVII.

35 [illegible]. 4. Jul. 36 f.

cf. Hagenbach. Kirchliche Denkwürdigkeiten z. Geschichte Basels seit der Reformation. 1tes Heft. Basel. 1827.

12.





S. Facit Epistola illa mea, quam non ita pridem ad te, vir clarissime, dedi, ut collectis jam non nihil viribus, necessarium videatur animi mei sententiam plenius tibi exponere, & quidem non eo nomine ut quietem aucuper, sed ut tibi viro integerrimo, ingenue aperiam id quod annis jam aliquot varie me afficit, & adhuc negocium facessit. Magno & Senatus viri & optimorum in hac Basileensi Academia virorum studio, hoc ante septennium 1575 perfectum fuit, ut Principe volente ad docendas sacras literas me adduci paterer; ubi toto fere quinquennio, eam provinciam, recusassem δυσπραξίας (quam mihi à Hierophantis regnum in Ecclesia ~~obt~~ diu jam obtinentibus imminere providebam.) metu deterritus. Quod autem multi omnia pacata fore pollicerentur, sic accessi ut solent ij, qui periculum ante oculos positum vident. Me vero non fefellit animus. Etsi enim publice privatimque docendo, & τὸ δυσπραξίας omni studio liberali prosequendo, multas ~~ea~~ magnasque injurias devorando, pacem redimere in ~~hodi~~ hodiernum usque diem pergo; & pergam dum me in hac statione consilio suo servire volet Dominus: tamen, quia luminibus officere videor, nec injusto odio erga Ecclesias orthodoxas & techmis quorundam servio, sentio me nunquam non per cuniculos, interdum etiam aperto Marte hostiliter oppugnari, Politarchis quibusdam conniventibus, nonnullis juvantibus: amicis vero attonitis artificiosae ipsius tragoediae ~~spectatoribus~~. Etsi autem laboribus meis hoc perfeci, ut etiam aemuli fateri cogerentur, me non modo Theologica lectione ordinaria, mihi injuncta: sed etiam Historica in Academiam introducta & δωρεὰν continuata, bene mereri de juventute: quia tamen hanc in me respicere & inclinatam quodammodo recumbere viderent, agre id quoque homines invidi ferre caeperunt.

Accessit calamitas collegij Petrini, cuius caussas perscribere non est ἐπιστολικόν. Illud mihi solatio est, quod totius Senatus judicio mihi salarij publici suspensione in biennium (quam quidam alij promeriti dicuntur, silentio & incuria.) injuria maxima fit, quam tamen nemo ex Politarchis depellere studet: cum summi quidam vereantur & ne si unius insontis rationem habeat, caeteris quoque διδασκάλια exsolvere cogatur τὰς τῶν κρατούντων ἁμαρτίας δεῖ φέρειν. Sed si ut Anaxagoras Pericli dicebat, Oleum lychno subtrahatur, non sane diu luce sua homini servire poterit. Sordidum cum esse judicem τἆθλα toties tamque sancte promissa, exsculpere, etsi scio non esse temere cuique locum mutandum, sed Domini causa multa dura ferenda: si tamen, Dominus id permittat, & spes sit alibi me servire posse gloriae eius, non illibenter locum alium ab ipso commonstratum, adiero. Magnificam conditionem nequaquam expeto, contentus Scholastico vitae genere, in

quo

Carolo Marchione Badensi


Simonis Sulceri &c.

quo liceat divini nominis sanctificationi & iuventutis institutioni servire.
Sortito autem artificio Sinonio Hierophantarum duorum, qui
primas obtinent, alacritatem si qua est meam in docendo non
parum obtundi. Et tui studiosa iuventutis studium & diligentia,
me quoque diligentem hactenus reddidit, ac solatio mihi fuit in
medijs aerumnis. De his rebus saepius cogitanti, venit in
mentem laudatissima vestra Respub. quae cum terris hac
tempestate Camoenis, novum hospitium aperuerint, admirationem pariter
& amorem sui excitavit in animo meo, Aristocratiae vestrae
encomia & ornamentis, plus alioquin tribuente. Neque vero haec
eo scribo, ut mei aliqua habeatur ratio. Nam si maxime
summa habeatur, vix possem vobis probare mediocria χαρίσματα.
Sed ut intelligas, sic me affectum, ut modo per Dominum
Deum meum liceat, paratus sim, Scipionis Tribunos Plebis
fugientis, exemplo, [illegible] in ea loca in quibus pie
docendo & [illegible] Scripta adornando, Ecclesiae & Reipub.
servire liceat. Ultroneae merces putent, ut habet proverbium.
Ego vero Dei beneficio alienus sum ab impudente
publicarum functionum ambitione. Vellem tamen ijs me a
Deo praesidijs doctrinae instructum, quae vestris hominibus
usui esse possent, apud quos mallem quam usque alibi
consenescere, cum mihi vestra virtus, & Magistratus vestri
sapientia, Norbergam multis modis amabilem reddat. Sed haec
omnia Deo commendo, quem oro ut vos omnes incolumes
servet ad gloriam suam & publicam utilitatem.

Mitto Theses Iuridicas & Medicas. Has volim te
viro clarissimo fratri tuo, Doctori Ioachimo dare, &
plurimum meis verbis salutem dicere. Iterum vale. Dominica
Laetare. Ignosce σχεδιασμῷ hominis, qui dum melius
morem gerere studet, αὐτοσχεδίως potius quam φιλοπόνως
scribere cogit, & literas fere in omnes Germaniae
angulos missitare hoc tempore necesse sit.

Tuae tui amantiss.


Ioh. Iacobus
Grynaeus



Clariss.° Viro,
Virtute doctrina & genere
praestanti, Dño Philippo Camerario,
J.C. amico observando.

Norinberga.

Joh. Jac. Goyraeus



S. Illustris D. Comes, Habeo & debeo tuae clementiae gratias, quod literis benignè scriptis me exhilarauit.

Visum autem est Theodosio, in aedibus quidem meae grandaeuae matris Musaea retinere, vbi autem contubernii Cytharoedi Galli. Itaqz cum primò in Friderici Mombelgardici Comitis domu, Solmenses Comites Gleitzmannus deduxisset: Theodosius, causatus longiusculè abesse meas aedes, quae iuxta cathedrale Templu sunt, suis quoqz alibi prospexit. Reliqui sunt apud me Nassouenses, vnà cu & solidè doctis & benè moratis aliquot nobilibus & patritijs. Vt autem, ita me benè amet Christus, hos non nisi virtutis & familiaru caussa libenter fero, sic nunqz auctor fuisse caeteris discedendi, donec Basileâ auocarentur. Ac, vt veru dicam, non semper assequor quorunda praeceptorum, qui malunt cu illiteratis viuere, consilia.

Non autem est, inclyte Dne, cur quisqz vereatur, ne Basileae Gallica concio vnqz conticescat, quando, & quidam Galli de discessu ne cogitant quidem: nonnulli verò, vt fit, abeuntibus, hac tempestate plures accedant. Arbitror de Hottomanno & Gottofredo qui huc migrârunt, C.T. consuluere. Et certè inter caussas quae me Basileam retraxerunt haec fuit, minimè contemnenda postrema, vt ne asylum hoc fratribus Gallis occluderetur.

Geneuensib. postqz praesidia vicinorum nonnihil subtracta sunt, sibi deqz, animus creuit. Deus dysenteria & alijs morbis Sabaudicum exercitum atterit: peremptis et equis. Noster Magistratus, quamqz non oia, quae requiruntur, praestare sit, tamen Geneuensib. non deest: vt quib. pro modulo suo vinorum & frumentum & ~~[illegible]~~ ~~sub~~ pecuniam subministrat.

Nunc Legati Tigurin. Schafh. Basil. Glaron. hoc agunt, rogatu Bernensium, vt Geneuensib. consulatur. Sed haec voluntatum scribere Erastimo: qui certè benè praest Nassouijs Comitibus, vnà cum Eutychio.

Dnus Jesus T. Clementiam, cum Repub. & Ecclesia gubernet & ab omni malo custodiat. Amen. Basileae 22. Octob.

Reuerenter tuas clementiam colens.

J. Grynaeus.

Beza & Sadeel recte se valere, & nunc demum bene sperare, testantur.

Ypl.


Illustri & magnanimo Heroi,
D. Ludovico Comiti Witgen-
steino, Seniori, Dno meo
clementi.


10.

B. 3. Xbr 89

+

I. Grynaeus





S. Illustris & inclyte Dn̄a, Quum superiore Mense Martio, Heydelberga
Basileam, ad Ecclesiae Ministerium, me reduceret Dn̄us Iesus, fuit mihi
Argentinam transeunti, tuae clementiae frater, D. Georgius, patronus meus
obseruandus, hortator, vt literas ad te darem, ac testarer meam erga
inclytam vestram familiam obseruantiam. Id nunc eò libentius facio, quia
auctor fui & filio tuae clementiae, vt rediret in patriam: valetudinis curandae
gratia; & doctori Ludouico, vt eundem reduceret. Existimo enim interdum
& è re nata capiendum esse consilium: quum eius & caussas iustas &
opportunitatem diuina subministrat prouidentia. Vt aut celebro Dei Filium
Dn̄m nostrum Jesum Christum, quòd pietatis, virtutis & moderationis,
adde & doctrinae luce, tum comitem Georgium, tum amitinum eius D. Philippum,
non certè minus quàm stemmatis & maiorum laude illustres esse voluit: sic
eundem oro, vt vtriusq; valetudini benedicat & det vt Reipublicae
ornamento, Ecclesiae adjumento sint, vtriq; consilio constanter & patienter
inseruiant. Fuerunt ~~enim~~ certè lumina nostrae Academiae: ac studio
illis fuit & est, seipsos puros custodire. Etsi aut me varijs occu-
pationibus mei ministerij sic exercet Dominus, vt non satis sim officio-
sus, etiam erga eos, quos magni facio, & quibus cupio mea officia
probare: tamen, verè testor valdè mihi cordi fuisse, & filij tuae
clementiae & Dn̄i Philippi, valetudinem & comoda. Valdè aut laetor,
id quod à me praestari non potuit, vbertim praestitum à verè chri-
stiano heroe, D. Rodolpho Barone à Salis, vicino meo: quum
quum edocuissem de Filio tuae clementiae & Dn̄o Philippo, vnà
mecum illos adijt: & inde vsq; ab eo tempore officijs humani-
tatis eosdem prosecutus est. Cupio aut duos istos vestros heroicos
iuuenes, saluos & incolumes ad vos redire: & vos diuinae commendo
gratiae: qua certè nobis omnibus opus est. Velim aut hoc sibi
T. Cl. persuadeat, quum Basileae iam, Dei beneficio inaestimabili
pax & eius basis veritas, mediocriter floreant, si quis è vestris
huc accesserit, ei mea qualiacunq; officia nō defutura. Malo aut
id factis, per Dn̄i gratiam probare, quàm multis verbis polliceri.
Oro autem tuam praestantiam, vt sibi pro suo candore persuadeat,
me videlicet doctrinae Propheticae & Apostolicae amantem, hanc solam
& magis ac magis addiscere, & pro eo ac Dn̄us dat profiteri.

Non

Non alo mos nostrum diversa doctrina: sed & me ipsum & omnia mea scripta, subiecta esse volo, vestrarum Ecclesiarum, quas in Dno cum nostris coniunctas esse ~~in~~ , mihi persuadeo, sacro iudicio. Postq̃ luce doctrinae de Eucharistia mentem meam illustravit Deus, fanda & infanda tuli: & in hac urbe, humi proculcatus, ferendo quae ferenda erant, per Dei gratiam hoc obtinui, ut sinceritas doctrinae paulatim emicaret: & ij qui me affligebant, auctoritatem suam me carpendo ipsi-met elevarent. Theodori Bezae & aliorum pijs precibus me adiuvari, sensi. In Palatinatum vocatus, permissu Senatus Basiliensis, descendi: non profectò, ut infirmum & humile Dei organum, aliorum luminibus officere, sed ut in re, ut videbatur, ancipiti, testarer me paratum cum pijs periclitari. Maluissem D. Zanchum disputandi partes, etiam à me reverenter oblatas, suscipere: sed quum ille id constanter negaret, malui meae infirmitatis nullam habere rationem, quam causae publicae deesse. Lator aut mihi datum, ut & vera profiterer, & me nullis probris, nulla intemperie, pateret inflammari. Erat autem mihi luctandum non modò cum excetra Ubiquitaria, sed etiam cum quorundam, qui laborantibus adiuvare debebant, praeiudicijs. Ut aut ad Sophismata illorum mihi placidè respondendum, ita ad horum voces, tacendum, duxi. Tempus enim & commitigat animos multorum hominum: & veritatem in lucem profert. Docui Heydelbergae pro meo modulo per biennium. Eo exacto tanto Basiliensis Ecclesiae studio ad ministerium, quo iam fungor, vocatus sum, ut inter electorum 160 capita, tantum septem desiderarentur, qui alium quendam vocandum censuerunt. Dedit aut Deus, ut quum, non disputando in utramq; partem, sed placidè docendo, piam doctrinam de Persona Christi & de Caena Dni, quam & vestrae Eccliae profitentur, proponam, & ad resipiscentiam oes exhorter: ut conniverint oes, plurimi fateantur se errasse, caeteros zelo abreptos fuisse: ut multi nunc pro vita mea se Deum comprecari aiant, qui superioribus annis propè extinctum volebant. Hanc καταστροφὴν Ecclae nostrae multi boni nobis gratulantur, interq; hos D. Beza, qui optatissimus Caenae Dnicae, quando ea festo Paschali hîc celebrabatur, ὁμοτράπεζος & consors fuit, suoq; exemplo profuit nostrae Ecclesiae. Dnus id quod caepit, perficiat ad gloriam suam.

Excetra = hydra Lernaea.

Nuper

Nuper fratribus Gallis, qui nobiscum versantur, obtinui à Senatu copiam administrandi Cœnam Dni: & quidem ritu in Ecclesijs Gallicis usitato. Ut autem tentando ad Troiam pervenerunt Graeci: sic ipse, ita ut in Democratia fieri necesse est, aliud post aliud fratribus obtinere studebo, quorum desideria & lacrymae, non postrema reditus mei caussa fuerunt. Haec, inclyte Dne, ideo scribo, quia tibi non ingrata cognitu, iudicabam. Politica non attingo, nam, ut verum fatear, illa me plerumque fugiunt.

Commendo T. Clementiam, unà cum tota ~~fa~~ familia Deo Patri per Dnum nrm Jesum Christum. Vivas bene sit & pro doctore Crocio. Dabatur Basileae 3. Novebr. 1586.

Tuam Excelsitatem reverenter colens,

Joh. Jacobus Grynaeus.

B 24.96
9

Illustri & Magnanimo Dn. Ludovico à Sayn, Comiti Witgensteinio, Dno Homburgi, patrono summè obser-vando.

Grynaei scriptum officiosum

Resp: Dillebergae 24 feb:

S. Illustris & magnanime Due, Quum mihi visũ esset & literario colloquio,
& missis aliquot Disputationum Theologicarũ exemplaribus, meam erga T. Cl.
observantiam testari, omissis bellicis & politicis rebus, de quibus homo ministerij
Ecclesiastici & Academici negocijs circumseptus, & prope dixerim obrutus,
non soleo sciscitari: de eo agere malui, quod Deus T. Clementiae ob oculos
ponit, tanq̃ Hieroglyphicũ symbolum, quod de multis eam commonefacit.

Non est in terrenis corporũ patribus tam pura, tam ardens, tam denique
constans Philostorgia & caritas, etiam erga frugi & bene moratos filios,
quam ea est plane divina in caelesti Patre, erga Ecclesiam, quam ab aeterno
elegit, & quam suis temporũ momentis in mundo sanctificat.

Ego vero, si quando vidi aegrotare filium tuae clementiae, de pio patre
cogitans, eiusque animũ affectumque, quodammodo induens, vehementer me
affici sensi.

Vincit autem veri patris amor, omnem seu hospitis officiosi, seu praeceptoris
amorem: illum autem infinitis modis superat Dei erga electos, eius filios, amor.

Hoc ergo cogitabis, inclyte Due, te inventurum carum filium, D. Georgium,
si quando is adversa laborat valetudine: stare in conspectu Dei Patris, qui
tua & filij tui & aliorũ omnium electorũ caussa, Filium unigenitum in cruce
pendentem, vidit: ac qua caritate sub cruce militantem Ecclesiam ipse
intueatur, cordis tui libro inspecto, disces, ut Deũ Patrem eo possis
honore afficere, quo Abrahamus eum iam filij iugulo gladium admovens.

Rursus, quũ videbis tuum filiũ, recte valere animadvertis, &
sentis cordis laetitiam, ~~ea~~ in suavi illa dilatatione thalamorum eius, hoc
in mentem veniat, Ecclesiae sua quoque halcyonia divinitus concedi,
in quibus exhilaratur Deus in Sanctis suis, & Sancti in Deo Patre suo,
a quo se in dilecto Filio vere diligi experiuntur: Sed haec illa non
esse diuturna, tum, quia virtus fidei in adversis exercetur, & quia
fata militantis & triumphantis Ecclesiae non debent confundi.

Toto autẽ corde Deũ oro, per sanctum nomen Jesu Christi, aeterni
cum Patre Dei & veri hominis, ut T. Cl. & optimũ filiũ D. Georgiũ: ut
illustriss. Nassovios Comites, ut hospitis quondam mei D. Eberhardi
Comitis Solmensis D. parentem: ut laudatiss. Comitem Wolfgangum
Isenburgium, aliosque Heroas, sincere & constanter verum Evangelium profitentes,
& alienos a fermento pontificio, ad gloriam suam aeternam & subditorum
incolumitatem, adversus Iberos aliosque hostes tueatur. Velim et illis
omnibus plene persuasum, me tanti eos omnes facere, ut cupiam Basileae mihi
offerri occasionem erga generosiss. eorum liberos mea officia praestandi.
Bene vale magnanime Vir. Basileae 18 Octobris 1587

Clementiae tuae servus

Joh. Jac. Grynaeus.

Magnanimo & illustri Dno Ludovico,
Comiti in Wittgenstein, Dno Homburgi,
Dno meo clementi.

W. 29. 8bre 87. Grynæus
9. 6.

S. Illustris Dn̄e, Fateor me non facere officiū literis scribendis, non quod nihil sit quod me exsuscitet, sed quia versor in medijs laborib. homo fragilis, & mortalitatis meæ ignarū sentiens. Quod autem halcyonia Heydelbergæ deserere ~~pp~~ vocationem necesse habens, dixi: Satis mihi fore si occasu meo firmam instaurandæ huic Ecclesiæ, id nunc in Dn̄o Jesu, qui successus magnos clementer ~~conf~~ concessit, gaudens, libenter repeto, persuasum habens me sepulto, non defore testes veritatis, cuius causa superiorib. annis videor mihi non oīo vulgaria symptomata tulisse. Est & hoc mihi solatio, quod sonat in Templis nostris consentiens docentiū pastorum concentus: nec, nisi unus ē diaconis, ubiquitariā crambem clàm coquens, nos interdum exercet: sed ita ut Eleusynia sua mysteria, nec possit ob ingenij infelicitatē, nec ausit ob Magistratus metum, in publicū effutire.

Lætor aut̄ me posse, coram Christo Jesu cordiū scrutatore, qui fucū & assentationē omnē detestatur, tuæ clementiæ gratulari, ea Dei dona quæ penes filium tuū Ludovicū ille deposuit. Inter ea omnes pietas & timor Dei, tranquillitatis & moderationis studiū. Cupio aut̄ & publicè & privatim meo loco, eiusdem pectori instillare pias νουθεσίας & rariū heroica exempla: & probo Theodosij fidem & institutionem: ac spero Deū benedicturū vitæ filij tui.

Historiam de bello Sabaudico non attingam, Tantū hoc T.C. fatebor, me anxium esse de Geneva, & animadvertere ex literis sanctissimi Bezæ, hunc quoq; anxijs curis exerceri. Scripsit se absoluta Paraphrasi in Jobum, eam penes me, ut pridem novū Testamentū, depositurū: ut si quid illi [illegible] eveniat, evulgandā curem. Nolo malè ominari: sed nec eos probo qui hyperbolici sunt, quum vel nullū, spreto hoste, periculū esse aiunt: vel summū esse clamant. Redierunt ad nos longæ pacis incommoda, inter quæ est voluptuaria vita, quæ inhabiles ad militiæ labores ferendos reddidit. Et sæpè cum pio Volrado à Plessen repeto illud Demosthenis, qui in bello Lamiaco, dicebat, sibi non placere, quòd victoriola prima cives suos frui, non aut̄ uti eâ ad successus urgendos, videret: ac nosse se [dicebat], eos stadiū tantū pugnare posse, non dolichum. Dolendū aut̄ est, urbib. quibusdā idem, quod Principib. quibusdā sua tantū spectantib. imbui posse, quando sua ~~tanq~~ alienis, licet proximis, vix esse miseranda, opinantur. Vergit mundus ad poenas fatales: inter quas tamen Filius Dei semen sanctū servabit. Gratias aut̄ ago Christo, quòd adversus arma Hispanica T. Cl. & alios pios gubernatores tuetur. & reverenter quæso, ut quū fiducia clementiæ tuæ motus, et ad D. Comitē Nassoviensē, de duob. eius filijs, rogatus scripserim, meā παρρησίαν, si sit opus, excuset, & me in gratia ponat. Non enim temerè heroicos viros interpello: nec sanè ocium est. D. Jesus tuā clementiā cum generosis filijs & tota familia, custodiat ab omni malo, & instruat oī necessario bono, ad gloriā suā. Basileæ 20 Junij.

Qui tuā clementiā in Dn̄o reveretur

J. Grynæus

Illustri & magnanimo Viro, Dnō
Ludovico à Sayn, Comiti in Witgen-
stein, Dnō meo clemēti.

W. 19 Julij 89

Grynej de sua functione, Ludovico
filio & fratello Sebastiano.

S. Illustris & mihi verè observande Dne Comes, Non debebam, homo mini-
mè politicus, & qui nunc Genevensium causa magis quam necesse sit,
afficior, literas dare ad illustres homines. Vix enim quicquam dignum
eorum lectione affero: et ut pius Melanchthon dicere solebat, nihil
habeo ~~[illegible]~~ praeterque lacrymas: sed tamen hoc corrigere soleo, et pro lacry-
mis substituere preces ad Dnum Iesum. Placent tamen mihi duo Chry-
sostomi apophthegmata, Afflictiones materia sunt exercendae pietatis.
Afflictio paedagogus noster est. Verum autem sub paterna Dei
ferula proficientes, gratulemur nobis, quòd res nostrae, secundum
divinae providentiae τὸν σκοπὸν, non autem pro nostro stulto arbitrio
fluunt. Beza magno animo est, sed ita tamen ut ea à me
consolationis remedia oblata, boni consulat. In eo falsus non
fui, quum superioribus mensibus conferremus de bello ipso, semper
testatus sum, in ea me esse persuasione, plus esse tribuendum
iis, qui tardè aliquid ~~polliceantur~~ pollicentur, & praestant citò & fide-
liter: quam illis qui soli omnia praestare volunt. Sed horret
animus ab ipsis.

Filius tuae clementiae Deo cordi est: nam vivit piè, iustè,
temperanter & studiosè. Idem & ~~Caete~~ caeteri Comites faciunt.
Hoc tantum mihi praeter opinionem accidit, quòd Gleitzmannus
non videtur communionis ipsius Academicae admirator esse,
quam ego cum rei familiaris incommodo, censui fovendam.
Proficiscetur cum Solmensibus Tigurum, ibi forsan mansurus, aut
huc, sed ad alios rediturus, aut Argentinam abiturus. Rogatus
ab eo commendabo illum bonis, qui sunt Tiguri. Dominus autem
gubernet eventum. Quidquid sanè honoratorum adolescentum ~~causa~~
facio, id omne, virtutis, non quaestus causa facio: & ad Dei
gloriam respicio.

Tranquilla est Ecclesia & Academia nostra, quam Dei
donum, cruentis lacrymis fidei mediab. mihi olim valdè
vexato, redimendum erat.

Efflorescunt quaedam pia & lucida ingenia, quibus cordi est
vera theologia. Ea res mihi solatio est inter labores, quos,
postquam omnes meos fratres sepelivi, ignarus mortalitatis meae
sentiens, sustineo. Dnus Iesus tuam clementiam servet, cum
tota familia, & protegat filium in die armorum, unà cum Comite
Eberhardo Solmensi. Basileae 3 Septembr.

Tuae clementiae reverenter colens

J. Grynaeus.

Illustri et magnan[illegible] Viro, D. Ludo-
uico à Sayn, Comiti Witgenstenio,
seniori, Dn̄o meo clem̄ti.

Pst Hanau 13. Sept. 89

9 c.

+

S. Illustris Domine, Consultò brevior sum, quia ad vos redit Volradus à Plessen, qui bona fide narrare poterit, quid rerum apud nos & in vicinia nostra, agatur.
Spero autem tuae clementiae exhibitam fuisse Epistolam D. Bezae, ad me scriptam, quâ quid de itinere Italico, unà mecum, sentiat, exposuit.
Unum hoc mihi videtur, et apud tuam dominationem & apud alios, bona fide de Basilea nostra testandum, quòd licet res ipsa loquatur, tamen non omnes agnoscunt, qui alibi maiore cum licentia vivere malunt.
Magno hîc vivitur, fateor: sed non minore, imò maiore, alibi: & vivitur hic sub caelo salubri, in terminis Germaniae, Galliae & Italiae. Verae Religionis amantes, non habent quod in Religionis publicis exercitijs desiderent, seu vernacula nostra, seu Gallica delectentur lingua. Effeci enim ut liceret Gallis uti per omnia sua liturgia: et quantum mihi dat Dominus, concilio Gallis Magistratus et civium benevolentiam. Fuerunt autem in summa apud nos gratia & honore filij vestri, tuus, inquam, magnanime Domine, Nassovij, Solmenses. Vident etiam prudentes & candidi aestimatores, Basileam decerpere florem eruditae iuventutis in tota Germania. Nulla Academia est, quae plures Medicos & Iurisconsultos, publicis ornet testimonijs, quàm hoc tempore nostra: etsi non pauci, clàm admonentur, ut salvo pudore suo, abeant in alia loca, quando nostris censoribus doctrina & moribus nondum satisfaciunt. Inde etiam quòd frequentissimae habentur Disputationes Iuridicae, in quibus si se generosi homines exercere volunt, habent certè occasiones proficiendi praeclaras. Nihil dicam de meis Disputationibus menstruis, in quibus filius tuus nunquam fuit muta persona, sed placuit alijs eo maximè, quòd rectè instando demonstravit rectè se intelligere quae diceret. In promotionibus autem publicis insignis habetur ratio vestrorum filiorum, qui ceu gemmae, amantissimè excipiuntur. Institutum autem etiam & Gymnasium, in quo felicissimè docetur pueritia & adolescentia. In eo opt. & illustris D. Conradi Comitis Solmensis, duo natu minimi, qui hîc fuere, filij, rectissimè poterant institui. Verum praeceptor, homo revera sibi uni nimis placens, à communione caeterorum comitum, Gymnasij, Ecclesiae germanicae, illos, quibus erudiendis par non erat, abduxit, nec quenquam nostrum regendum esse voluit sua institutionis: quae res mihi doluit.
Etsi autem probo, quòd Praeceptores filijs vestris adiungitis: Sturmij tamen consilium, quo ductus ad quasdam publicas lectiones generosos adolescentes accedere voluit, itidem probo: nec enim qui singuli privatim docent fideliter, paria cum pluribus publicè docentibus facere possunt: & vestri filij aliorum exemplis excitati, maiores progressus cum alacritate faciunt, quando publicè quaedam, nonnulla verò privatim discunt.
Verè autem testari possum, cives Basilienses plerosque, Magistratus exemplo, amare ordinem docentium & discentium: nullas esse digladiationes: honestos esse congressus Ecclesiasticos & Academicos: et mediocri diligentia, Deo grata, doceri: citra infestationem aliorum.

Haec & alia, quum revera ita sese habeant, demiror quosdam praeceptores ad lustra Epicureismi, Vesontionem, Dolam, & quasdam Italiae, ~~cum suis~~ loca [cum bene natis & educatis discipulis,] tendere, relicta Basilea? Privatim sane nihil specto, dum haec commemoro: sed dolet ph. quum video pessimos fructus quarundam, non necessariarum peregrinationum: nam de necessarijs nō laboro. Hoc igr certò sibi tua clementia persuadeat, in pacata urbe nostra, vestros filios & eorum similes, commodissime & vivere & in studijs proficere posse: si modò ~~fatis~~ praeceptorum privatis, libeat audire & publicè docentium monita. Juniores, optimè in eleganter exaedificato, bonisque doctoribus instructo Gymnasio: caeteri in Academia, rectè institui possunt. Omnium istorum oculati ~~s~~ testes D. Volradus à Plessen & D. Esychius esse possunt.

Mitto tuae clementiae meam exomologesin, quam opposui clamoribus Ubiquitariorum, qui horribiliter in me & alios debacchantur. Ego crabrones istos, aculeo maledicentiae armatos, ala corripere nolo. Iniurias, silentio ulciscar: & pro illis orabo Christum. Benè vale, Dne honorande. Basileae 26 Martij.

Tui nominis verè observans,
J. Grynaeus.

De Italia & Basiliensi academia.

Illustri viro, D. Ludovico à Sayn, Comiti Witgensteinio, seniori, Dno suo plur. honorando.

B. 20 Aprilis 90

2

S. Illustris Dne Comes, Gratias ago Dno meo Jesu Christo, quod eius tuam
benevolentiam mihi conciliat, quæ certè solatio mihi est: et eum oro, ut
mihi det eam gratiam, quâ & tuæ generositati & alijs pijs probari possim.
De rebus nostris ~~hac tantum~~, ad Dei, qui facit ut è tenebris lux
emergat, hæc solum αὐτοσχεδιάζων possum.

Est inter D. Bezam, D. Sadeelem & me communio dulcis consiliorum
et studiorum, quam, ut mihi perhonorificam & planè necessariam duco,
ita certior prodesse reformatis per Helvetias Ecclesijs. Eius dulcedinem,
aliorum Lausannensium quorundam, quorum dux Auberius medicus est, qui
Bonum Ministrum verbi sibi et alios quosdam adjunxit, amaritudine non-
nihil perfundit: dum cogimur, tam domesticos, sanctificationem cum
Justificatione confundentes tragædos, quam externos hostes ferre: in
ter quos Pistorius est, unum hoc agens ut eodem modò nos tres
exagitet, quo Wirtebergicos. Ij quidam & prudentes, negant
responsum captanti, morem gerendum: quum manifesta sit eius
et Huberi, pro quo intercessimus Bernæ, amentia.

Respublica nostra paci assueta, mihi videntur multas ferre
adversariorum injurias: et experiri vetus illud: Post folia cadunt
arbores. Urgent aut peccata nostra Dei iudicia: ac ne quidem
cruentis lacrymis videor mihi illa, satis deplorare posse.

Genevenses recens victoria ornavit Deus, quum vindemiæ
caussa egressi, & ab hoste circumventi, 200 ex his trucidârunt,
80 ceperunt, & interque hos 4 centuriones: ut mihi sanctus senex Beza scripsit.

Mortuo Marchione Jacobo, frater eius restituit Ministros verbi; ac
die Bartolomæi (quo illi posthumus, Jacobus Ernestus natus est) conciones captæ
sunt haberi in territorio Hachbergensi in quo docent 23 Pastores. Verum
hæc sunt quæ mihi curas augent, quòd subscriptores illi formulæ concordiæ;
Lutheri caussam potius quam Christi agunt: quòd, nisi fallor, terrena
plurimi spectant, & à nobis alieni sunt: quòd, se superiores eos & extra
telorum jactum esse putant: quòd interea Pistorius potentib. patronis
fretus, nihil non molitur. Ideò oro Deum, ut in illo territorio,
unum Christi Evangelium sincerè annunciari curet: alioquin res non multò
melius habituræ videntur.

Andreas Cardinalis Austriacus in vicinia Constantiæ, nunc residet: et
Episcopus vastat Ecclesiolas in suo territorio Jesuiticis artibus: & hi
Bucilas superiores, fœderis socios et adiutores consiliorum.

Gallica apud nos Ecclesia, nequaquam (ut ex Eucherij literis, ad vos delatis
video) desijt. Imò, hoc tempore quo anxij sunt fratres, me rogat, ut contra
quorundam civium vindicias, adesse pergam: quod & cum bono Deo, faciam.

Boni consule, inclyte Dne extemporaneam Epistolam, & me illustriss. Dno
Nassoviensi Comiti Johanni commenda, quum dabitur. Christus familias vestras
clementer & ubertim benedicat. Basileæ postridie Michaelis 1590.

Tuas clementias reverenter
observans J. Grynæus.

De Marchione Jacobo & Pistorio
Jonung alijs perturbatoribus Eccliae

Magnanimo & illustri Dno Ludouico
à Sayn, Comiti Vitgensteinio, Seniori,
meo domino & patrono

Marburgi tradatur
D. Regnero Sixtino
v. cl.

B. 25. 8bris 90 +
11

S. Magnanime Dne, Ut in tota mea vita semper erravi, quoties oculum
mentis meae, à scopo gloriae Dei vel tantillum deflexi: sic experior
me plane obstupescere, quum bellum Genevense intueor, & ad secundarum
caussarum Lesbiam regulam, primae caussae actiones penso, quum contra
ad Lydium divini judicij, cui respondent ea quae fiunt, lapidem, omnia
potius nobis exploranda sint. Equidem de ijs, quae in illius urbis vicinia
fiunt, aliorum indicio te edoceri malo, quam fabellas perscribere.
Hoc tantum testari libet, quod omnia conferenti in mentem venit,
omnia sic diminutis geri, ut ne domini quidem Dei judicium dent:
sed magno ipsius bono; magno adversarij malo: magno et cum Laconi-
carum lunarum cum dedecore. Minimi adversi casus, nimium nos debilitant:
leves et successus, nimium feroces reddunt. Et multos, ut cum Thucydide
loquar, habemus spectatores sermonum, & auditores factorum. Quicquid
agimus exemplo Apostolorum, id succedit: ut cum nuper collecta largiore
succurreremus viduis, pupillis & peregrinis, in quib. esurit Christus, eo
inquam, loci. Quicquid autem mundi spiritum sequentes agimus, id omne
nobis in memoriam revocat veterem versum: Caedimus, inque vicem praebemus
crura sagittis. Interea testatur Sabaudus exercitum, se per exhaustos,
desertos, imbecillos, contra vero opulentos, Ibericis praesidijs feroces, invictos.
Hoc boni superest, quod qui docemus in templis urbium concordes
sumus: nec fermento quod Alberius, communicatib. versus quibusdam spargit,
locum damus. Lugemus tamen vehementer, nostra caussa, ademptum nobis
Sadeelem, qui magno suo bono, in ~~coeli~~ caelestem Scholam vocatus est.

Nec Pistorio, nec Hubero, nec alijs obtrectatorib. respondeo, tum
quia cum Cyclopib. non possum luctari, tum quia Satan à magis necessa-
rijs avocatum, cum surdis loqui mallet, quam cum pijs auditorib. Et sentio
me valde debilitari varietate laborum, maxime tamen curarum & dolorum:
nam democratica licentia, ut Epicuro & Pluto locus sit, valde laborat:
et quidem passim.

Oro autem te, vir summe mihi honorande, ut quum dabitur, me
commendes magnis illis viris, Nassovio & Solmensi, comitibus, quibus
cupio persuasum, me Reip. & Ecclesiae caussa ipsos revereri, meri
consensum cum pie doctorib. in vestris Ecclesijs & Scholis, preces meas
cum ijs conjungere, & καθ' δύναμιν communioni Sanctorum servire.
Potest quidem Dnus vitae meae spatia prolongare: sed ignarus
mortalitatis meae monitor, facit, ut me ad metam immortalitatis
accingam.

Gratias autem ago quod superiorib. nundinis dignatus es ad me
dare literas. Pollicerer autem historicas, siquid fide dignum, et nondum
vulgo notum accepero. Familiae meae, &, ut cum Euripide loquar,
vitae columnis generosis filijs tuis, quorum treis vidi, precor eam Dei
benedictionem, ut sit cur laudatus. parens de filijs gloriari possis: Basi-
leae die aequinoctij verni.

Qui tuam inclytam virtutem vere colit

J. Grynaeus.

Illustri viro, D. Ludovico à Sayn,
Comiti Witgensteinio, seniori, Dño
mihi summe honorando.

B. 5. ~~Martij~~ Aprilis (91

Illustres Dni, Gratias ago Filio Dei, quòd is flexit animum tuum, ut de generosorum filiorum vita, adversis et secundis, me certiorem redderes. Sic enim afficior cura et studio eorum, qui mecum vixerunt (vixerunt autem hoc sexennio, postquam Heydelbergâ me reduxit Dnus, mecum 81. hospites Academiae) ut absentes Deo commendem, reduces nonnullos, veluti redivivos complectar. Vestros autem et Nassovijs, et Solmensibus et ceteris, qui à me digressi sunt, Dnus Jesus magis ac magis benedicat, et vos ab omni malo custodiat.

Geneua, idem nunc experitur, quod ij, qui aliquandiu febris paroxismos sentire desierunt, interea spes et metus sunt. Ut Sa... autem hostem irreconciliabilem eam habere, mihi dolet: sic hoc unum mihi solatio est, quòd Deum habet protectorem.

Pontifex Heluetios pontificios belli socios facile habiturus videtur, si quidem id quod à Gallorum Regib. pridem illis debetur grande aes alienum se persoluturum, pollicetur. Verum ille benedictione fumosa alios, potius quàm auro, ditare mavult: plumbi potius quam argenti prodigus Camillus. Delectatus sum nuper salso responso, quod Regius Legatus, qui Salodori degit, Friburgensib. solutionem à Rege Navarrae flagitantibus, dedit: Navarrenus, quem vos Gallorum Regem esse non putatis, nihil debet vobis. Itaque non est quod vobis pollicear.

Academia nostra in luctu est propter obitum Amorbachij J.C. qui revera fuit commune bonum et urbis oraculum. Piè autem obijt 25 Aprilis, peripneumonia extinctus, ut accidit D. Sadeeli. Caeteroquin tranquilla sunt omnia. Gymnasio autem abhinc biennium reformato, verè benedicat Christus. Mirum est Pontificios quosdam nobiles et alios liberos suos huc ablegare, et ferre ut in Oecolampadij Catechesi erudiantur.

Si quid tua clementia gratum à me praestari, in his locis, poterit, admonitus, libenter faciam quod ferent meae infirmae vires.

D. Jesus J.Ch. et illustriss. D. Johannem Nassouiensem, D. Conradum Solmensem, conservet et regat. Basileae 4. May.

Qui tuam clementiam in D. Jesu
verè veneratur,
J. Grynaeus.

Illustmi et magnanimo, Dnõ
Ludovico à Sain, Comiti in
Witgenstein, seniori, Dnõ
mihi pl. obseruando.

W. 18. Junij (91 B

S. Illustris Dn. Comes, Facit grata recordatio humanitatis, quam nuper tua clementia mihi immerenti praestitit, ut licet D. Zundelinus, viva, veridica & diserta Epistola sit futurus, gratitudinis in declaranda causa, visum sit testari, semper me fore memorem vestrae benevolentiae.

Sanctus senex Beza, queritur, & urbem Genevam modis omnibus exhaustam, ab iis qui mutuo datae pecuniae causa consus annuos exigunt, admodum urgeri: & nunc apud Insubres ab Allobroge magnum conscribi exercitum, qui seu in Provinciam, vel adversus Genevam sit ducendus. Ego de his rebus cogitans repeto dicta Chrysostomi: Auxilium divinum nobis adest, quum in injuriis mansueti sumus. Item, Auxilium divinum per bonam vitam nobis conciliandum est. Saepe autem de humanis auxiliis, quae interdum ne quidem ii, quorum res maxime agitur, sentiunt, cogitans, miror illis non venire in mentem vel istud Senecae: Alteri vivas oportet, si tibi vis vivere.

Quo erga doctissimum fratrem Johannem Piscatorem animo sim, exposui opt. D. Grunradio. Mihi non vacat irasci talibus viris, nec animus id est: Veneror & diligo virum. Interrogatus ab alio de quaestione theologica, respondi ex verbi Dei praescripto: ignarus, quod de eadem plures egissent. Bene mereri studeo, et studebo, de discipulis D. Piscatoris, et ipsius quidem causa, si qui huc venerint. Deum autem celebro, quod tuam clementiam [illegible] consociationis esse vult. Ego nunquam non nobis inculcandum censeo, τὸ: Diligite veritatem & pacem.

Filium tuae clementiae Argentinae non licuit salutare. Veritus theologorum quorundam censuram, neminem, praeter Lobetium et illustrem D. Carolum Truchsessium, conveni: ut amicorum tranquillitatis rationem haberem. Etsi e spinis ficus non colligimus: confido tamen rediturum ad nos fructum, si Criticorum mores recte frenantes, veritati interim sanctum testimonium modeste perhibuerimus.

Clarissimo duci Tetrapolitani nostri, ob Hubertianas bomolochias pergraviter responsuri videntur, quando ille leniori horum Epistola abusus est in praejudicium.

D. Jesus tuam clementiam custodiat ab omni malo, & instruat omni vero bono: benedicat et progeniei tuae. Basileae 9. May.

Tuae illustris dominationis

observantiss. J. Grynaeus

Illustri D. Ludouico à Seyn,
Comiti Witgensteino, Dño meo
clementi.

Heidelberga
pr 14 Maij (92

14

S. Illustris et praestantissime D. Comes, Quum hoc tempore mirifici sermones, de inclinatione Henrici 4 regis Franciae ad Pontificiam superstitionem, circumferantur, et quasi nemo unquam vir magnus grauiter lapsus sit, ac postea à Deo et castigatus et erectus, praeiudicijs res agatur: nolim sanè ante tempus iudicare, idque non eo solùm nomine, quòd mihi probatur, Philippi, opinor, Burgundiae ducis illa vox, ad temerarium quendam principum Aristarchum prolata: Caue multa dixeris de principibus. Nam si eos nimium laudabis, mentieris: sin verò eos vituperabis, periculum tibiipsi creabis: verum etiam quod potius cum S. Scriptura, priora et posteriora eorum mihi consideranda, et illud Dauidis repetendum censeo: Non abijcias me tempore senectutis: quum deficiet virtus mea, ne deseras me. Quia loquuti sunt inimici mei de me: et qui obseruant vitam meam, consultârunt simul.

Sunt quidam principes instar caduci floris, aut instar deciduae stellae: quum illos terris ostendit Deus, nec ultra esse sinit: ut vidimus factum de Eduardo 6 rege Angliae.

Sunt quorum res priores laudatissimae sint, posteriores non item: ut sacra historia de Asa rege Judae testatur.

Sunt contrà quorum res posteriores prioribus virtutis & felicitatis caussa longè sint anteponendae: ut est in regis Manassis historia videre.

Sunt et vomicae ordinis politici, quorum nec priora, nec posteriora laudem mereantur: ut monent exempla Ahas, & pij Josiae filiorum.

Sunt denique, quibus diuina gratia id praestitit ut eorum priora et posteriora sint praeclara: non quod melli aloe non aspergatur: sed quod eis gratia diuina hoc praestet, ut pietatis non minus in aduersis fortunatos et sibi auspicatam experiantur, quàm in secundis. Nunc vitae, et gubernationis tenorem à Deo Patre per sanctissimum nomen d. n. Jesu Christo precari soleo, Principi electori Friderico 4. Palatino, Dno meo: quem aduersis exerceri video, sed ijs quae firmant iudicium, aptum reddunt magnis & necessarijs conatibus, et docent in Deum vnum respicere & ab eo solo pendere. Equidem non dubito multis principibus plurimum id obesse, quod omni metu soluti, indulgent voluptatibus: et personae suae immemores sunt. Philippus rex Macedonum post Cheroneam victoriam, ab epulo surgens, serto capiti imposito, exercere choros immodestè caepit; cumque Demades, licet captiuus esset, exclamasset: Miror te Philippe, quum tibi fortuna Agamemnonis personam dederit, Thersitis opera facere! Quam multi autem, qui tamen alijs leges de Religione dare satagunt, vino assiduè madentes, Thersitis opera faciunt, neglecta Repub. parum eius memores, quod Philippus benè monenti gratiam retulit, libertate & ipsi et caeteris Atticis ciuib. concessa! Saepè autem nostros moneo, ut Deo commendent assiduis precibus principes et magistratus, quorum bona exempla maximo vsui sunt subiectis. De rebus nouis nihil scribo, quòd nihil relatu dignum occurreret. Hoc autem epistolio testari volui est, me Tuae Clementiae in Christo Dno obseruantem, eam cum tota familia & Republica propitiae Dei prouidentiae commendare. Basileae 8. Augusti.

Qui tuas clementias

verè colit

J. Grynaeus.

Illustri viro, D. Ludovico à Sayn,
Comiti Witgensteinio, Electoralis Aulae
Palat. Supremo Magistro, Dno meo
clementi.

Heidelb. 16 Augusti (93 15

S. Magnanime Dux, Sunt, qui existiment Gallorum Regem, nondum ita induratum, ut in viam revocari non possit, piorum Principum comminatione, de eo, si pergat exorbitare, deserendo.

Intelligunt quidem, superiores è sacra Scriptura rationes, ductas ab ira et vindicta diuina, peti posse: sed tamen, quum is, secundum Deum, vera Ecclesia derelicta, amplexus sit praesens seculum: et iam experiatur sibi ab hoc verba data, idum sapere vellent.

Ego, donec videro eum voluptatum studio deditum, à Deo alienum esse non dubitabo. Sed, quum voluptates istas teterrima specie abeuntes, aloe summorum vitae discriminum excipi, vir caeteroquin minimè incautus, experiatur: quid si laetetur se libera admonitione experrgefieri à lethargo, quum ex ea colligere possit se pro desperato nondum haberi, et esse qui sic peccanti irascantur, ut resipiscentem sint in pretio habituri? Verum si eum Dominus admovere dignabitur, excitabit vestrum corda, qui cum fructu id faciant fiat.

Sabaudus, aliquoties cum Bernatibus de pace egit, seu quòd alibi haberet quod agat, seu quòd Genevenses (quorum nullam in literis mentionem fecit) à socijs urbibus, arte sinonia, seiungere cupiat. Bernates tamen praeter Tigurinos et alios consortes specialis foederis syimachia cum Genevensib. initi, et nostros adhibuerunt: et Genevatib. legati, nullam se cum Sabaudo pacem inituros in qua ipsorum ratio non haberetur, deliberandi de conditionib. pacis copiam fecerunt. Exactis quinque septimanis, tentabitur conciliatio, quae utinam non sit ferri et luti conglutinatio. Anxiè hi et Genevenses miserè exhausti, pacem desiderant non fucatam.

Ego cum de ijsmodi conciliationibus superiorum et omnium cogito, habeo cur Gregorij dictum repetam: Pacem cum bonis habere mali non possunt. Nam si, eodem judice, pacis radix est humilitas: quae satellitis Antichristi humilitas esse poterit? Utinam nostri coniunctis animis res suas agant, et more in officio Alcibiadem contineant.

Nescio qui fiat, ut de serenissimi Principis venatione excercitus cogitanti, cura, ne quid illi tristius aliquando accidat, animum non parum afficiat. Utinam, omissis feris, sectetur iustitiam, pietatem, fidem, charitatem, tolerantiam, lenitatem: utinam decertet praeclarum certamen fidei. Atque id faciet, Deo dante.

Huius Nörvarti, patritij Augustani, tanta est virtus, ut reverenter eum tuae clementiae commendare non dubitem: tametsi ille Spirae acturus sit, nec aliud desideret quàm benevolentiam, qua dignus est, quia vere Religionis est amans.

Incolumem servet tuam clementiam gratia D. nri Jesu Christi. Literas T. Clementiae legi cum fructu. Basilea 9 Octobr.

Cliens tuae clementiae

ex animo J. Grynaeus.

Illustri Domino, Dn. Ludovico Comiti
ad Wittgenstein, magno Aulae Electoris
Palatini Magistro, Dno mio clementiss.

Heidelb. 18. 8br 1593

17

S. Illustris et magnanime D. Comes, Servat quidem Dominus, inter medias generis
humani confusiones sua septem millia, eorum, qui Baalem non adorant. Quod tamen
Eliae accidit, ut se solum superstitem esse, et ad mortem quaeri putaret, idem
multis alijs, ac inprimis pijs gubernatoribus, qui se destitui socijs fidis opinantur, evenire
quis ambigat? Jurabant cives Attici, se pro patria fortiter pugnaturos, et solos,
et alijs iuvantibus. An non igitur Ecclesiae et Reipub. gnavus vir bonus, labores
et difficultates gubernationis aequo sustinebit animo, etiamsi animadvertat, a
pluribus se impediri, a paucissimis autem iuvari? Quid animi censemus fuisse Danieli
inter medios leones sedenti, quum illorum vim divinitus cohiberi videret: interim
in eodem lacu versaretur? Vester Princeps, donec in Deum solum respexerit
(quod utinam per vitae huius militiam totam faciat: facturum autem, Deo freti, spe-
ramus) mundum magis habiturus est aequum. Si didicerit gloriosum esse
Christi probrum, etiam ijs admirationi erit, qui se illi opponunt: si, quod Deus
avertat, vel tantillum indulserit mundo, huius perfidiosa ipse ludibria experietur.
Audio Christi fidelem servum Olevianum p.m. aliquando dixisse: Ita Satanae
resistendum est, ut progrediare audentior, non autem vel latum digiti retro
cedendo, eius tempus occupandi copias Sathanae ~~faciendam~~ facias. Quod ille
de principe mundi, idipsum de mundo statuendum censeo. Unus Daniel
in aula Babylonica, etsi multa adversa tulit, multorum tamen barbarorum
conatus elisit et irritos reddidit. Ne nobis persuadeamus, unquam futurum,
donec in his terris vixerimus, ut inter pauciores paleas, quam tritici
grana versemur. Bene autem saber quod his a vento non ita est, ut
illis periculum. Haec ideo scribo, quia de militia vestra togata cogi-
tans, non dubito pios deplorare confusiones. Sed meminisse oport[illegible] Di-
ordinum inter medias perturbationes, in eo quoque conspici: quod bonorum
iuxta et malorum ministerio, Deus mirabiliter utitur, facitque ut pijs omnia
in bonum cedant.

Senatus noster, concionatorem, ideo ~~ex~~ e comitatu Mombelgardico,
ab Gerrido Superintendente eiectum, quod post subscriptam concordiae
Jacobandreensis formulam, ausus est Deo et veritati dare gloriam, apud
nos cum famulola ~~habitare~~ habitare vult, donec vocetur ad alterius Ecclesiae
ministerium. Inventa autem est eius ad D. Tossanum epistola scripta, non autem
missa. Haec ansa calumniae fuit. Nunc quasi non satis sit lugentem
Ecclesiam pastore spoliare, harmostae, absente Principe, facultatulas eius
sub arresto detinent. Eas cupit intercedente pro Electore, a Principe
Wirtebergico obtinere. Id tuam clementiam scire volebam. Fui auctor ut literas
ab Illustri D. Alberto Hanovio Comite ad Serenissimum Electorem, peteret.
Deum patrem precor per Christum Dominum, ut tuae clementiae multiplicare ea
omnia dignetur, quae ad vitam et pietatem faciunt. Basileae 3. Septembr. 93

Qui tuam clementiam
vere colit
J. Grynaeus

Illustri viro, D. Ludovico à Sayn, Comiti Wittgenstenio, magno electoralis Aulae Palatinae praesidi, Dno meo clemti.

Heidelb. 27. 7br 93

16

S. Illustris Dne, Ego de Rege Gallorum alia non habeo, quàm quae tua benignitas scripsit. Ad iusta Dei iudicia adoranda me libenter converto, et mihi aliisque inculco et hanc Gregorii magni vocem: Rationem de occulto Dei iudicio quaerere, nihil aliud est quàm contra illius consilium superbire.

Vt autem Principem Electorem, et vos omnes qui ei adestis, Deus regat, et consilia sua vobis suggerat, Dn. Iesum precor: quia non dubito varie vos tentari. Quum autem piorum concordia et solatio et praesidio sit, eam florentem esse cupio. Sed utinam semper nobis cordi sit quod vere dixit Augustinus: Concordia non potest esse sine iustitia!

Quod Respub. Christiana nobis videtur esse instar confracti poculi crystallini, errore iudicii fieri ne dubitemus. Sunt enim unum in Christo, quotquot sunt ex Deo: caeteri ne quidem syncretismo coalescunt, sed dum nos oppugnant, lupinam inter se amicitiam colunt. Nos singuli id meditemur quod Bernardus dixit: Non est vir fortis, cui non crescat animus in ipsa rerum difficultate.

Admodum me exhilaravit Dominus reditu D. Rodolphi à Salis, qui et iam recuperata valetudine, mecum interdum de Repub. confert. Hic mihi saepe in memoriam revocat Senecae dictum: Nemini, nisi sapienti sua placent: stultitia laborat fastidio sui. Bono enim consulit adversa et secunda: conversationum privatam et publicam: praeiudicia imperitae multitudinis, et aulam in qua vixit [illegible] evanescens, cui et nuncium misit.

Facta est, apud vos, superioribus mensibus, spes, nobili viro Iohanni ab [illegible], praefecto Badenwilensi, de eius filio in numerum nobilium puerorum qui Principi electori serviunt, cooptando, primo quoque loco vacante: ut norunt D. Plessenus et alii. Etiam atque etiam oro Tuam clementiam, ut beneficium vel accelerari curet, vel denegari: ne negligatur puer, qui cum patre versatur et expectat vocationem vestram. Interest bene vos mereri de aliorum Principum familiaribus. Si qui in fide Christi, ut hic est, nobis sunt coniuncti. Si beneficiis superare debemus, iudice Ambrosio: felicitatis est benemereri de bono viro.

Adhuc tractant Tetrapolitani consilia, de pace inter Genevenses et Sabaudum, quae utinam non sit bello nocentior. Politarchae sciunt hunc Sinonis artificio vti; et eo nomine caute sibi agendum censent. Sed profecto, ut omnia alia, sic hoc quoque Servatoris dictum verum est: Filii huius seculi prudentiores sunt filiis lucis in suo genere. Verum bene habet quòd vivit et regnat Iehova, qui comprehendit astutos in sua astutia, et staminat mansuetos. Ei Tuam clementiam una cum Serenissimo Electore, et huius familiaribus toto corde commendo. Basileae 14. Novembr. 1593.

Tuae dominationis
observantissimus J. Grynaeus.

Magnanimo et illustri Dno Ludouico
a Sayn, Comiti ad Wittgenstein, magno
Electoralis aulae Palatinae magistro,
Dno meo.

Heidelb. initio Xbr. 93

18

…ni fides nostra desiceat, qui illa…
…unum …

Magnanimo et illustri Dno Ludovico
a Sayn, Comiti ad Wittgenstein, magno
Electoralis aulae Palatinae magistro,
Dno meo.

Heidelb. initio X^bri 93

18

S. Inclyte Dne Comes, Toto pectore precor Dn Jesum Christum, ut animi corporisq; tui vires ita instauret, ut diutius Palatinatui & tuis subiectis adesse possis. Inter alia, quae Principi Electori à Deo precor hoc alterum est, secundum ipsius vitam & in fide virtutem, ut ei nunquam desint fidi monitores, quos cum auctoritate coniuncta prudentia ipsi reverendos & charos faciat. Eo nomine turbatus sum nuncio de tuo ex aula discessu. Etsi enim decet nos ea quae divinitus data sunt, boni consulere: ut qui nihil in hoc genere perpetuum esse, sciamus: nisi tu Deus ipse tenorem officiorum terminari, nolim studio propriae quietis, abrumpi seriem beneficiorum quae Reipub. praestare potes. Erit autem, illustris Dne, humanitatis tuae, in optimam accipere partem, quod Ecclesiae, Reipub. Principis, studio ductus, cupio & te & alios, qui sincerè ~~Dni~~ tui consilio serviunt quàm diutissimè clavum moderari.

Sunt qui ob Lugduni deditionem, patefactis variis claustris, Genevam nonnihil respiraturam, certè tolerabiliores pacis conditiones obtenturam, autumant. Intra paucos dies Legati urbium, pacificationis caussa rursum convenient. Noster Magistratus, quantum quidem in eo est, hoc unum agit, ut ne quid agatur quod fraudi esse possit Genevensibus.

Eadem Lugduni deditio interturbavit hispanizantium Helvetiorum consilia. Intelligo hoc quoque Lucernates agitasse animo, ut missis Lugdunum peditum 6 signis, oppidanos in fide erga Liganos retinerent. Sunt et qui negent milites in Belgium missuros. Sed inania belli, omitto.

Coeperat nos Deus pestilentiae ferula castigare. Propemodum autem subducta iam ~~e~~ videtur. Faciant aut multa & magna nostra peccata, ut verear ne non recrudescat.

Ecclesiae per Helvetiam concordes sunt. Valesianis fratribus, qui Leucae & Seduni magno numero sunt, & à Pseudepiscopo exercentur, quantum dat Dominus, adsumus.

Utinam Marchiones Badenses, Principes olim mei filij, à vobis se flecti paterentur, sic ut agnita veritate & puritate doctrinae, quae apud vos & nos traditur, ora suorum quorundam Hierophantarum, qui ex iis locis in quibus doceri inter pericula, quum glacies perfringenda esset, nos acerbè perstringunt, & quod magis dolendum est, miseram plebeculam attonitam potius reddunt, quam Christum docent.

Demissè oro tuam clementiam, ut sibi persuadeat me si qua in ~~re~~ re in hac Rheni ripa ei servire possim, admonitum promptè facturum officium.

Benè valeat tua clementia cum tota familia, ad Dei gloriam.

Basileae 7. Martij 94.

Qui illustrem tuam dignationem

Verè observat

J. Grynaeus.

Illustri & magnanimo Dno Ludovico
à Sayn, Comiti Witgensteinio, Electo=
ralis aulae Palatinae Maiori, Dno
meo clementi.

Heidelbae 19. Martij A° [15]94

19

S. Illustris Dne, Delector hac Chrysostomi sententia: Etiamsi omnes, qui mare et terram incolunt, conveniant ad laedendum, nocere nequaquam poterunt ei, qui a semetipso non laeditur. Sed enim ut a nobis ipsis non laedamur, toto pectore precor Filium Dei, ne nos sinat fortitudine cordis nostri, neve nos patiatur ambulare in consilijs nostris. Testatur enim universalis experientia, non esse hominis dirigere viam suam, sed pervertere, ac proinde seipsum omnium gravissime laedere. Maneamus igitur in Christo, ut Spiritu eius acti, nec in nosipsos, nec in alios simus injurij. Nec turbemur Mataeologorum intemperie, quorum evidens est amentia: quia ~~ut~~ si minus visum sit Deo vestrum patronos, voluptatibus plerumque ebrios, respicere: per illos tamen exercet justa sua judicia erga eos, qui a veritate quidem aures avertunt, ad fabulas vero divertunt, eoque nomine ipsi sibi secundum peculiares cupiditates coacervant doctores similes veteris illis Pepusianis & Montanistis.

Ut autem illustri tuae dominationi reditum in patrias sedes, benedictione Dei insignem: sic aulae Electoris Palatini, ordinem, praesidia salutarium consiliorum & actionum, veram gloriam, a Deo precor: et inter alia donum agnoscendi, quot modis hoc decennio, Deus gratiae suae praesentiam, rebus incertis (si quis humana spectet) invalescentibus, declaraverit. Etsi eminus positus iam per octennium, minus explorata habui ea, quae publice apud vos gesta sunt: quia tamen in exercitijs invocationis Dei, & gratiarum actionis, studio habui observare documenta propitiae Dei providentiae, in Repub. & Ecclesia vestra, agnovi evidenter, Deum adesse Principi, vobis omnib. et ijs qui Christo sanctum apud vos testimonium hactenus perhibuerunt. Videor mihi vidisse plerumque vos a sinistris tentatos fuisse: sed fere ab ijs, qui ne quidem suam ipsorum personam tueri, nedum alijs vel obesse vel prodesse possunt. Ex adversis, ait Iunior Plinius in panegyrico, secunda, ex secundis adversa nascuntur. Utile autem est ad usum secundorum per adversa ~~[illegible]~~ pervenisse. Sustinuistis vos quidem una cum utroque Principe, adversa: sed Dei caussa: et experti estis Deum ad dexteras stantem. Jam videtis aliquot nebulas disiectas: quae hi si quandoque coeant, et grandinem pariant, ea quoque scuto protectionis divinae excepta, elidetur.

Quo loco res nostrae sint, indicabunt opt. viri, Lingelsemius & Hippolytus, quorum conspectu & colloquijs me exhilaravit Dominus, qui dum hoc tempore multis inserviendi ansam mihi praebet, praeclare mecum agit. Suetonius scribit, ~~Domit~~ Vespasianum Imp. ut cum invaletudine laboraret, caussas tamen cognoscendis et judicandis fuisse intentum, et caussam hoc Apophthegmate exposuisse: Imperatorem stantem mori oportere. Utinam nos usque ad extremum spiritum Dno servientes, apprehendamus vitam aeternam ad quam vocati sumus! De rebus Gallicae tragoediae ideo non scribo, quia fabulas literis aspergere, religio mihi est. Servet tuam clementiam cum tota familia heroica gratia Dni nostri Jesu Christi. Basileae 4. Septembris. Magnifico D. Huttono multiplicet Dnus gratiam et pacem & D. Cunradio: ac D. Volrado a Plessen, caeterisque pijs.

T. clementiae

Servus J. Grynaeus.

Illustri & magnanimo Comiti, Dn.
Ludovico à Sayn, Comiti in Wittgenstein,
Electoralis Aulæ Palatinæ Præfecto,
Dno meo.

Heidelb. [illegible] 7 [illegible] 94

20

S. Illustris Domine Comes, Quia tanta est tua benignitas ut literariam compellationem, hominis inter funera seruati, non asperneris, non equidem de belli inanibus scribam: sed de eo, quod mihi de Rege Franciæ cogitanti, & statu Ecclesiæ in Gallia animo intuenti, in mentem venire solet.

Regem, iusto Dei iudicio, & exerceri ab alijs, & exercere alios, mihi persuadeo. Si sub crucis Christi vexillo militare perrexisset, mediocres successus plus gaudij illi attulissent, quam nunc illi tot urbium & provinciarum simonica subiectio, non tam ipsi seruiens, quam ijs quibus ipsum leges dare oportebat. Sic ingenium est Mundi, ut procos suos cibum in flamma petere cogat adhibito melle lito gladio, quem interim aduersus eos vibrare nunq; cessat.

Sed et ille non mediocriter, nisi omnia fallunt, exercet, & Pseudoclerum, & Politicos illos atheos, qui, quum singuli sint, catholici tamen dici gaudent. Ille enim nactus est suffragatorem eum, qui a teneris admonitus est de eius idolomania & turpi vita: & cogitur impari iugo Pontificis & Regis colla submittere. Hi vero vident facultates suas una cum sanguine, ciuili isto bello, absorberi: & fiunt exemplum versus: Cædimus, inq; vices præbemus crura sagittis.

Interea, Deus Ecclesiæ in quibusdā locis clementer benedicat, ut ex literis piorum virorum Danæi & Bezæ, accepio. Et quum quædam ingenia turbas dent, si posito omni metu, mussopatagos in theologia agere permittatur: sale tribulationum ea respergit D. Iesus, ne Deum offendant, turbas sibi & alijs dando.

Quum aut regnum diuisum sit: & alioquin oppressis multis principibus, ex Imperij spolijs, sit auctum, quid si, exemplo Pannonici regni, tandem desoletur? Certe multi reges Galliæ, dum Pontificum patronos agunt, Germanos Cæsares, & ut Italiæ possessione tandem excederet, & ut imperium vehementer debilitatum ægre tuerentur, affuerunt effecerunt. Iam, quum Martyrum maxime, dein ciuium, postremo, & Earum conductorum sanguis, pacis iuxta & belli tempore, a Regibus antecessoribus effusus, clamet ad Deum, quis miretur, eum cuius est vindicta, tandem surrexisse, & potentiam suam declarare?

Nuper hac, a Rege reduces, hac transierunt, Venetorum Legati, a quibus D. Baro Salicius, qui illos nouit, hoc unum cognouit, omnia in incerto posita: regiamissos magnificentiam expertos, quod vetus videatur amicitia cum Venetis. Coniectura est, de foedere actum.

In Burgundiæ comitatu, is ipse regius exercitus, qui ante non ita multos menses, Lotharenis duce militauit pro Ibero, oppida & arces complures occupauit: fruendi; ut Gallorum est ingenium, initio. Nunc lingua bellare videntur. Etsi aut copiæ, quas Sabaudo Socer subministrarat, partim frigore, partim quod neruo belli destituerentur, hoc est, Dei manu contritæ principi, & eius religuiæ Geneuensib. triste spectaculum, occasionem quinetiam hostib. benefaciendi præbuerunt: tamen, quum nunc Castiliæ Admiralius, equites & pedites, non ita multos adducat, rursum utriq; spe metuq; afficiuntur: ne Caninis desit sponte accersitum tormentum.

Vrbes Heluetiæ, suadente Legato Regis, decreuerunt Legatos mittere ad Regem, pecuniæ, quam tandem ei dederunt, & alioquin debitæ, si minus hoc tempore obtineri possit, certis regni apochis & hypothecis in tuto collocandæ causa. Sed verentur ne quemadmodum venter, ita quoq; fiscus, haud decrescens, careat auribus. Et fortassis non progredientur Legati, posita spe fructus legationis.

Oro tuam clementiam, ut sibi persuadeat me, si quos mihi commendabit, huc studiorum causa proficiscentes, postq; diu iam esse quod desijt possis, eorum habiturum rationem.

D. Albertus Comes Hanovius vere valet Genevae: et interdum me de suis rebus admonendo, exhilaret. Deus ipsum et fratrem gubernet.

Dorlector memoria Comitum Nassoviorum, qui mecum vixerunt: tametsi nescio ubi gentium nunc versentur. Si in Belgio militant, protegat vos Dominus in die armorum.

Audio Sigina traductam esse Scholam Herbornensem, ab illustrissimo D. Comite Johanne, cui Sanctorum viscera recreanti, benedictionem divinam opto. Adsit vero Deus iis qui in vosteris Ecclesiis et Scholis fideliter docent, et faciat nos omnes unum in seipso. Ut etiam a vosteris regionibus impia arma depellat armipotens ille Jehovah, cum toto corde oro.

Servet tuam clementiam gratia Domini nostri Jesu Christi. Doctori Paulo Crocio salutem dico. Basileae 28. Martij.

Servus tuus in Domino Jesu
J. Grynaeus.

Illustri & magnanimo viro, D. Ludovico Comiti ad Witgenstein, Seniori, Domino clementi & plurimum mihi observando.

pr. Niumegij 20 Junij 95

23

S. Inclyte Dne, Ut maxime Ecclesiarum nostrarum domestica mala multa sint,
Mundi tamen cribri foramina obstruere satagentis mala multo sunt maiora
& plura. Qui enim custodit Israelem, dat ut mire haereses, non modo
qui probati sunt innotescant, sed et ut illustretur veritas & exerceatur charitas.
Idem qui iudicat orbem iuste, fecit ut nuper in conspectu prope vestro poenas
dederint asseclae quondam coniurationis Ibericae: & ut Sequani, vicini nostri
idolomaniae & crudelitatis suae poenas darent, Hispanis patronis aeque in
vos grassantibus, atque Francis adversariis. Jam Rege Lugdunum versus digresso,
Hispani amissa, nemine repugnante, recipiunt. Ille vero Allobrogem adortus
itinera Genevam mire & Lugdunum patefaciens, dicitur in Picardiam
cogitare. Prorsus ut Medici avertunt defluxus in partes minus nobiles,
ita isti Mirmillones, prout illis conceditur, in alia atque alia loca bella
transferunt: & properant ad fatalia loca, ipsis factis vetus hoc repe-
tentes: Cardinus, inque vicem praebemus crura sagittis. Nuper Sacrificus quidam
Lugduni propalam, Quam diu, inquit, tyrannum istum feremus? quum non
detur regressus ab Hugonotismo ad Catholicismum. Itane nunquam exoneretur
heros, qui illo occiso, in libertatem nos vindicet? Coniectus est igitur in carceres.
Sed omissis illis, de Ecclesiasticis potius agam. ~~Sed~~ Sanctus ille Dei
servus Beza noster, dum παραμονήν in Ecclesiis Helveticis amanter
fovet, nobis omnibus charus, saepe in memoriam mihi revocat illud Pomponij
Attici dictum, quod apud Ciceronem extat: Nos pauci veterem illam
gratiam & urbanitatem Atticam post civile bellum retineamus. Unam & qui
in Scholis & Ecclesijs reformatis docemus, antiquam gratiam Christianam
retineamus, nihil facientes per contentionem & inanem gloriam, sed honore alij
alios praevenientes. Non tantum Pontificij, sed et multi alij qui videri
volunt Atlantes Ecclesiae, nobis imminent, Ideo veritati & paci nobis
summe studendum erat: & ad iniuriarum malorumque tolerantiam praeparandi
animi. Gemens aut Deum precor, ut mihi det, ne in hac aetate mea,
patiar me et a bonis, sibi in indulgentib. irritari: ac identidem
repeto illud Davidis: Dne, ne me deseras in diebus senectutis meae.
& exemplum fidelis servi Jehovae in eius domo, Mosis, de quo scriptum est:
Provocarunt et eum ad iracundiam apud aquas iurgij; quam male cessit ipsi
Mosi propter vos. Quia exacerbaverunt spiritum eius: & inconsiderate loquutus
est labijs suis. Nuper Gens nostra in conventu Badensi, etiam respondit
Legato τοῦ ἀετοῦ, petenti adversus Turcas decem millia peditum: & suntus ad eos
alendos: Hoc agat, ut Iberus desinat Francum & Belgas bello petere, & ut
vires suas vertat in Turcas. Fieri enim posse, ut pacata Francia, Rex belli
gloria clarus, sibi persuaderi patiatur, ut ipse quoque vires suas in barbaros
vertat. Prius quam id fiat, sibi tutum non esse bello in Francia ardente, copias
alio mittere. De Anglo, qui reversus ad mentis sanitatem, memorabili martyrio
Romae functus est, nobis constare reor. Papa hic, videtur Innocentij 8 elogium
Omnibus blanditus, nemini benignus, quod apud Volaterranum legitur, promereri.
Servet tuam clementiam Dnus Jesus. Basileae 30 Augusti.

Qui tuam clementiam observat
in Dno J. Grynaeus.

Illustri Dnō Ludovico à Sayn, seniori,
Comiti ad Witgenstein, patrono cle-
menti & constanti.

Septē 95.

25.

S. Vivit & regnat in medio inimicorum Christus Dominus, & ut nos castigat propter multas magnas caussas: ita graviter punit hostes sua Ecclesiae, qui hoc tempore tyrannico gaudio gaudent. Utinam vero attollamus capita nostra expectantes redemtorem, qui nunc quoque dicit: Quid timidi estis: o exigua fide praediti? Saepe autem animadverti in metu esse mali nobis esse. Recte Seneca: Non est vir fortis, cui non crescat animus in ipsa rerum difficultate. Sed hoc nobis praestat Spiritus Christi, quo ethnicus ille caruit. Perseveremus in Christo, qui noster Epistates est, coram Agonotheta Deo Patre nostro, per virtutem Xystarchae Spiritus sancti. Bullae instar sbori nunc tumidi sunt, sed pereunt paulo post. Sanctoribo, scissi in contraria studia, timidi erunt. Enimvero nec illa Euripidis vox de nihilo est: Simplicem dolorem quum liceat, ne feras duplicem. Diuturno igitur doloris sensu contenti, id potius agamus ut hodie vocem domini Dei nostri audiamus: quam ut de crastino anxii, minus quam par est de ~~ut laboremus~~ providentia Dei tribuamus.

Insistemus autem precibus apud Dominum, & oremus ut ille pias & heroicas familias, quarum lumina quaedam nuper in vicinia vestra subduxit, regat & tegat. Infestus quidem vobis est Satan, quia videt vestra voce doctum, scriptis, & vestro exemplo & auctoritate, oppugnari regnum suum. Sed non plura obtinebit, quam manus & consilium Dei decreverit. Et ut quod sentio dicam, Minus periculi est ab hostibus apertis, quam a falsis fratribus. Doluit mihi, quum intellexissem superioribus mensib. ~~Nolo~~ Iudiciam tot habuisse hospites: tum quia ~~[illegible]~~ sua plerique spectant, tum quia sumtus inutiles obsunt Reipub. Non meum est leges dare magnatib. fateor: sed meum tamen est bene precari eis, & optare ne qui nos in adversis negligunt, dum una aliquo loco sunt ea absumant quae interdum ex lacrymis subditorum collecta sunt.

Gens nostra scissa est in contraria studia. Catholici, quos vocant, donec argenti fontes loquuntur, Iberum colunt: Nostri nuper ad Gallum Legatis missis, Lugdunum, sibi ut pro mutuo data pecunia satisfieri petiverunt. Quale tulerint responsum, non est obscurum.

Religionis status tolerabilis apud nos est, utinam tanto bono recte utamur. Mitto aliquot Scripta tuae clementiae. Si quid relatu dignum cognovero, scribam, Deo dante.

D. Iesus tuam clementiam servet, una cum inclitis Dominis Comitibus: & tueatur fines vestros. Basileae 26 Octobr.

Literas T. clementiae accepi: & habeo gratias quod scripsit.

Clementiae tuae in Domino observans J. Grynaeus.

Illustri & magnanimo D. Ludovico
à Sayn, seniori, Comiti Witgensteinio,
Ecclesiae nutritio benignissimo,
Dño meo clementi.

26.

Ph. Dellmanb: 14. Jul. 95

S. Illustris Dne, Quum intellexissem T. C. ex aula Heydelbergensis theatro domum ad suos ipse reversam, venit mihi in mentem id quod in extrema eius Epistola habetur: Deo autem, bonorum fonti & auctori gratias ago, quod Palatinatum in meliore statu relinquo, quam initio cum invenerim: pro cuius conservatione, & Ecclesiae augmento, eorumque salute qui vineam Dni fideliter colunt, Patrem servatoris nostri orare nunquam obliviscar.

Gratias ago Deo Patri domini nostri Iesu Christi, quod ei placuit tuis et collegarum consilijs ubertim, pro infinita sua benignitate, benedicere, ut res sane ipsa loquatur Palatinatum, praeter nostram, qui infirma plerumque fide & spe sumus, expectationem: et contra quam nobis parum aequi volebant, meliore in statu nunc esse.

Sic autem de instauratione Ecclesiae & Reipub. cogitans, statuo, Mediocrem statum multo plus boni habere, quam ipsi intelligamus, qui interdum de reliquia querimur, desiderio iucundioris vel potius cordis parum soliciti. Nec est quid in adversis quibusdam rebus, boni insit: nec, quantum in carnis iudicio ~~in~~ secundis, mali, observantes, usum bonorum malorumque delectum habemus.

Iucund:

Semper itaque praesentem statum Ecclesiae Dei proposito respondere statuamus, & vel unius ~~vani~~ viri boni gustu ita delectemur, vel documento gratiae divinae, ut auctorem malimus celebrare, quam ulla de re querimonias movere.

Libenter sane T. C. ita gratulor, ut olim cuidam Hungaro gratulatus est pius ille Melanchthon, his quidem verbis. Quum autem audiam te inter classica & armorum fragorem cum invocatione Filij Dei coniungere Evangelij studium, Labores tui Deo placebunt, etiamsi hoc luctuoso tempore fructus ~~non cernitur~~ nondum conspicitur. Nec Ieremias vidit suorum laborum fructum, sed posteritas ab ipso servata vidit, & videbit ipse cum universa Ecclesia in vita aeterna.

Credo autem & T. Clementiae & alijs pijs gubernatoribus interdum concedi ut fructus suorum laborum conspiciant: ~~ut~~ sua ipsorum experientia docti, succedentes fluctus rerum adversarum fide & spe fortius superent. Sunt enim vices rerum sparsarum, ut experiuntur abiecti, quos consolatur Dominus, etiam tum quando foris pugnae, intus terrores ita eos exercent, ut caro eorum nullam habeat relaxationem.

De Repub. non habeo quod scribam, nisi quod agnoscam divinitus nos tum servatum castigari. A vertice usque ad pedum plantas, in plerisque nostrum, non est sanitas et ipse sincere testor me non facere bonum, quod volo: sed malum, quod odi: et saepe deploro meas infirmitates. Multi et, nisi fallit iudicium, sic publica mutant, ac si licitum esset Religionis & Gubernationis divortium, nec in hac spectanda esset gloria Dei prae omnibus rebus mundi. Ideo saepius illud Ieremiae repeto, Misericordiae Domini quod non consumti sumus. Habet tum Deus suos Ionathanes & Daniels etiam in Democratijs, qui naufragij disiectas tabulas colligunt: sociorum, quibusdam videntibus quibusdam sinistre interpretantibus. Ferula quinetiam pestis adhuc nos per intervalla iustus iudex castigat. Inde fit, ut inter morientes & convalescentes incedam, tum ut Christi servis adsim in necessitate, tum ut collegarum alacritatem exemplo alam. Et certe habeo cur Deo agam gratias, me, inter perpetuos labores ita confirmanti, ut non desit voluntas viribus respondens. Cupio et levare piorum contubernalium labores & dolores. Sed fateor maxime turbari, quorundam Verbi Ministrorum in urbe & agro sua quaerentium, et non semper ea quae sunt Christi, moribus et negligentia.

È Gallia nihil habeo, nisi quòd Rex mihi videtur factus exemplum proverbij, Quum multum laboraverimus, in eodem tn statu sumus. Videt sibi inter mille discrimina rerum, versandum esse: videt successorem Condaei filiu vix unqz in regno successurũ, cuius distractionis non sola prooemia videt. Excitet tn eius opera & Ligarios Dominus: & contineat fratrũ quorundã nostrorum ingenia, ne sibi indulgeãt & domestica dissidia aleãt. Nunqz enim ferè desût, qui à sacrosancta charitatem separantes, praetextu Zeli turbas dẽt.

Tiguri obijt fidus & exercitatus Christi minister Felix Trubius. Bernae, recèt cum collegis docet Samuel Huberus: Genevae, pius Beza pergit Christo servire. Apud nos mediocris & tranquillitas: & intra quatriduũ x. J.C. promovebũtur: neqz enim pestis Academiã hactenus inaccessam reddidit.

Si me pastorem oviculas in via universae carnis comitari volet Dnus, hac epistola testatũ facere volui, Me reverenter benè precatũ T. C. & toti familiae: toti & illustriss. familiae Comitũ Nassoniorũ & Solmensiũ, è quib. flosculos aliquot vidi, quibus oẽ bonũ à patre luminũ opto. Sin verò, me paulo diutius militare volet Dnus, redibo ad hac scribendi exercitia: in pserum cũ occurret aliquid scriptione dignũ. Servet T. C. Dn Jesus Christus. Basileae 20. Noveb. 94.

Tuae clementiae
verè observans J. Grynaeus.

Illustri viro, Dno Ludovico à Sayn, Comiti ad Witgensteyn, seniori, Ecclesiae Christi amantissimo Nutritio, Dno meo.

R: 4 Jan: 95.

Gratia & pax Dni nostri Iesu Christi vobis multiplicetur.

Quum Deus e conspectu, non aut e cordibus vestris, subduxerit magnanimum Comitem Witgensteinum, fecit idem, tum ut in vobis portio dupla de illius spiritu penes vos remaneat, ut successive in opere Dni urgere possitis: tum, ut ostendat quem διάδοχον ipse elegerit. Existimo enim, idem & de politicis gubernatoribus dici posse, quod Chrysostomus exponens Act. 1. 24. de Apostolis & Ministris dixit: Non equidem dixerunt, Elige: sed ostende Electum: hoc est, quem tu elegisti. Sciens quod prius omnia a Dno fuerint ordinata

Habeo autem & D. Iesu Christo & tibi gratias quod dulcissimis tuis prolixe me exhilaraveris. Nec tamen id astute scribo, ut saepius & copiosas literas abs te aucuper. Ut ut enim nihil illis gratius mihi contingere posset: maior tamen est Ecclesiae, tuique, quam mei habenda ratio, qui satis magno gaudio afficior, quum audio Christum in suis apud vos magis triumphare, quam princeps mundi cum sua synagoga velit

Ego, quantum dat Christi gratia, in opere Dei progredior, & boni consulo q[...]s & alter ἰσόψυχοι Collegae mihi strenue adsunt, παρατ συγκακοχειαζ τῷ εὐαγγελίῳ. Video enim non omnibus dari, ut quae Christi sunt potius, quam sua, quaerant. Tigurini habent cur lugeant obitum Felicis Trubij, qui fidelis pastor erat, & ornabat ministerium virtute.

Etsi carpit pestis quosdam apud nos: nondum tamen Academiam [...] immotam reddidit, aut promotiones remorata fuit. Hodie tamen sepelivimus Ministrum illum, qui e Rhetia ad vos profectus, literas a vobis mihi attulit. Reliquit is 8. liberos & aerumnosam coniugem, quib. ut adsimus det Dns.

Magistratus humaniter monuit, ne pauperum aedes infectas frequentem: verum tamen multi in famis remedia a me requirentes, desiderant officia mea: quae, quantum dat Dnus praesto, paratus omnibus, si iubeat Pastorum princeps, διακονεῖν.

Lator est quem a pijs quibusdam divitib. impetro pauperib. alimenta, Scholasticis inopib. Et video ex illis quosdam [illegible] esse.

Obsecro ut per D. Marcum Zum Lam (quem Christus cum D. Bechtho & alijs pijs servet) mihi mittas 20 exempla, novi vestri catechismi. Nuper unum exemplar dedi nobilib. virgunculis Schawenburgij nobilis Alsatis, quae apud viduam nobilem in vicinia versantur, ut formoso Eugij familiam illam imbuam. Servet Principem & vos omnes Christus Dns. Basileae 20 Novembr.

Tuus antiquus
I. Grynaeus

Vere nobili viro, D. Ottoni
a Grunrad, amico meo
& christiano patrono.

21

S. Ignoscas mihi quaeso, magnanime Domine & patrone, quod paschalibus nundinis officium
non feci scribendo, et victus sum diligentia tuae clementiae. Pridem desij esse mei iuris,
itaque dum proxima quaeque tracto, saepius quam deceat, omitto ea quae humanitatis erant.
In tantis autem imperij & regnorum confusionibus, post divinas scripturas, imagines
in naturae theatro occurrentes, ad institutionem & consolationem meam & aliorum, intueor.
Rapi quidem se vehementissimo motu, Sol unà cum alijs sideribus, pariter, à
primo mobili, ut ab ortu in occasum, & ab hoc ad illum, circumcirca terram,
moveatur: ut tamen, toti terrarum orbi diurna & annua spacia conficiendo,
prosit, obliquo motu, leni moderatoque, illi in contrarium, itidem fertur: Sic ipsi
Ecclesiam militantem, & in ea singulos quoque sanctos eximios, regnorum & po-
pulorum enthusiasmi, vehementer circumagunt: illius tamen contra nitentis,
et vigilantia, precibus, consilio, exemplo, multa ingentia molimina eliduntur.
Ac interdum infirma organa gratiae Dei, destruunt munitiones & vim satanae:
ac sapientia sua moderantur multa, leniunt nonnulla, & flectunt vehemen-
tiora ingenia. Credo et tua, inclyte Domine, opera, Deum uti, ad sananda
Ecclesiae vulnera, ad revocandos ad harmoniam docentes in Ecclesijs: quos
utinam concordes, tantum ea tradere, quae vera & necessaria Ecclesiae sunt.

Fratres quidam in Rhetia, irritati Sacerdotis convicijs in Calvinum p.m.
disputationem theatricam instituerunt, quae si edita fuerit, videtur magnam
tragoediam excitatura esse. Quaestio est de Mediatore Christo, ut is est
θεάνθρωπος. Etsi, sententia pij Bezae nostri, [illegible] recte [illegible], in
nonnullis tamen ἐνεργείας naturarum singularum proprias, et earum ἀποτελέσμα-
τα discernunt, et alia quaedam non satis exposuerunt: in eo tamen laudandi
nomine, quod fratrum censurae sua subijciunt.

Mitto scriptum Regis Scotici, quod est documentum iudicij illius.

Nuper hac redijt in Gallias, Episcopus, legatus Regis Galliae ad Papam
pro impetranda absolutione (ab omnibus, ut reor, benefactis) pridem missus.
Is Caleti iacturam parvi facit: Regi successus perpetuos gratulatur: eidem multum
deberi, quod Hispano, pacem desideranti, nostro bono, eam neget, affirmat: negans
Italos Principes & Venetos boni consulturos, si pacem Rex cum Sabaudo, ineat.

Bernates nuper proditorem, civem Lausannae, supplicio affecerunt, scelerum
circumstantijs suppressis, tum propter illius coniuratos, tum [illegible] conspirationis auctorem.

Fuentanus Holophernes nuper hac iter fecit, & iam in Sabaudia res
novas moliri: [illegible] à Valesijs expetere cum exercitu, dicitur.
Sic scilicet induciae cum Genevatibus ad Augusti periodum pactae, fide punica
servantur. Sed regnat Christus in medio inimicorum suorum. Is tuebitur
ovile suum sanctum Genevae & alibi.

Dux Wirtembergicus, in nostra vicinia Mombelgardiae, an adhuc haereat,
ignoramus. Utinam seria agant Principes, omissis ludicris. Mei hospi-
tes Moravi, nihil nisi tristia in patria accipiunt. Videlicet videntibus
et dolentibus bonis & cordatis, securos in utramque aurem dormire, quos
prae caeteris vigilare oportebat. Ipsum vero Turcum volentem nolenti animo
qui accedere dicunt, mihi videntur, fumos vendere.

Helvetia mediocriter pacata est. Schola nostra tranquilla, ut & Ecclesia.
D. Beza sese collegit, & est in Schola theologica docet. Vicini Argentinenses
suis Hierophantis indulgendo, accersunt sibi multa magna mala. Deus aperiat
eorum oculos. Servet tuam clementiam gratia Christi, unà cum illustriss.
genero & vestris familijs. Fudi epistolam, oblata occasione, cal. Junij.

Tuae clementiae
Servus J. Grynaeus.

D. Rodolphus Baro à Salis, omnia
bona T. Cl. precatur: et recte nunc
valens, laetatur sibi cum erroribus
belli Ungarici nihil esse negocij.
[illegible] tamen [illegible] ab Aula.

Illustri & magnanimo D. Ludovico
à Sayn, seniori, Comiti ad Witgenstein,
Ecclesiae fideli nutritio, patrono
meo pl. colendo.

P. 23. Junij 98

frequentia & varietas.
[illegible]tar hortus varijs florib,
[illegible] bonis & malis plen[illegible]
& admiratione excitant
religiosos : nisi in adeo[illegible]

Illustri & magnanimo D. Ludouico
à Sayn, seniori, Comiti ad Witgenstein,
Ecclesiæ fideli nutritio, patrono
meo pl. colendo.

P. 23. Junij 98

S. Magnanime Dne, Vixerunt domi meae, unà cum duobus Nassovijs,
quinqz Solmensib. & Ortemburgico Comite, filius tuae clementiae Ludovi-
cus, postqz viro vere nobili Volrado à Plessen, Geneva Basileam
remigrare, & convictum meum experire, placuit. Unâ autem, Christi
cooperarius, non tantum terreni panis administer illis omnib. qui mecum
vixerunt, sed etiam designator panis vitae, quem solus Pater ille dat, fui:
& veritati Ego testis. Equidem vere testari possum, me, inter labores
& curas non omnino vulgares, nonnisi virtutis causa, & quia heroicas
familias magnifacio, & mirifice laetor quum Dns Jesus mihi dat videre,
quorum opera paulo post in decreverit in Repub. locum dare hospitibus.
Gratulor autem toti isti Scholae, quae novem comitib. constat, prudentiam
Plessij, & doctrinam Praeceptorum, ac horum bonos mores: & oro Deum ut uni-
versos sua illa veritate magis magisqz sanctificet.

Belli Sabaudogallici initiorum historiam, alijs, quibus ea magis nota
est quàm mihi, describendam, relinquo. Ego sane, illustris Dne, quoties
in Deum respicio, misericordia eius recreor, iudicijs terreor: propter
nostrorum peccatorum conscientiam. At quum intueor humana, plane
conturbor. Illis, inquit Hippocrates de mutata valetudine disserens,
quae praeter rationem, in bonum aut malum mutata sunt, non est con-
fidendum. Rex ~~nod~~ non didicit Christum: & necessitate circumventus
implorat opem eorum, quorum religionem damnat, pulcrum ducens servire
tempori. Sed omisso illo, de mihi cara Geneva dicam. Eam nisi
Deus ipse, ut hactenus fecit, servet: habituram video, inter homines
quos fugiat, non autem quos sequatur. Dicuntur Genevates occupasse quaedam
loca vicina. Ea, aut sibi servare volent, aut socijs proximis tradere,
aut vicino propinquoqz hosti restituere, necesse habebunt. Sibi si illa
servaverint, invidiosi, & in adversis, minus ~~miserabiles~~ erunt: si socijs
tradent, suo sanguine alijs servient: si hosti restituent utiqz, de fumo
in flammam incident. Provincialium etiam quorundam vanitas: & non
prorsus injusta nobilitatis querimonia, quod praefecturis nemo civis
praeficiatur, pericula creabit. Vereor etiam ne belli initia talium spectem-
mus, nec de diuturnitate, nec de fine satis cogitantes: nihil ut dicam
de nervo, quo haud scio satisne instructi simus. Non autem hoc mihi
satisfacit, quod quidam censent, tam dubie paci bellum praeferendum esse.
Sed quum ignoramus quid agere debeamus, hoc solum superest, ut
oculos ad Deum dirigamus, qui mirabilis est in omnib. operib. suis.
Ipse faciat quod bonum est in oculis suis ~~suis~~. In Ecclesia nostra, Dei
beneficio, pax & veritas efflorescit. Clementiam tuam cum tota familia,
& imprimis cum D. Georgio, quem probe novi: & altero T. C. filio qui me
ante bimestre salutavit, Deo Patri cuiusque unice commendo. Basileae
die quâ Israelitae olim Jordane transmisso ingressi sunt terram Canaan,
ut essent typus nostri in coelestem requiem ingressus. Clem. tuae clementiae reverens

J. Grynaeus.

Si vivit apud T. C.
Doctor Crocius amicus
eum salvere jubeo.

Illustri et magnanimo Viro,
D. Ludovico à Sayn, Comiti
in Witgenstein, Dno meo
plurimũ honorando.

B. 3. Maij

S. Gratias ago T. clementiae, quod ita nuper benigne respondit: et existimo per D. Tossanum posteriores meas literas, una cum sententia Senatus Tigurini, ~~[illegible]~~ de caede D. Altosaxij, eidem transmissas fuisse.

Quod de domesticis nostrorum quorundam fratrum dissidijs T. C. scripsit, proh dolor, non de nihilo est. Ego à Tossano, de imputatione totius iustitiae Christi, quam agendo et patiendo perfectè impleuit, superiorib. annis interrogatus, simpliciter respondi, disputatione conscripta, in qua neminem perstringens, caussam egi. Postea intellexi, quosdam, à Cargio me adolescente motas, à Melanchthone refutatas et compositas quaestiones, rursus agitare cepisse: neque illius, neque discipulorum sciscitationibus, neque dictatis refutationem meae disputationis sine inde sparsis, me passus sum à magis necessarijs abduci: nec unquam in mentem venit ignem gladio scalpere. Utinam de Ecclesia, cui seruio possim bene mereri, et me, et alios praeparare ad migrationem ad Christum. Sentio autem fugam controuersiarum in me non nihil fouere desiderium liberationis à toto peccato, et clari conspectus Dei.

Pistorius, quum nuper Cardinali suo auctor fuisset, ut duabus Communitatibus in Turgoia, quae sub tutela est maioris partis Cantonum Heluetiae, Euangelij ministris pulsis papatum obtruderet: ac in Conuentu Badensi, priuatim Pontificiorum suffragia facile impetrasset: Euangelicis urbibus, quae verentur ne Turgoij ad arma concurrant, non parum negocij facessere cepit. Quum hac Archidux Matthias transiret, rogatu Magistratus mei, commodum Baro Saltzius illum monuit, Caesaris interesse, et prouinciarum superioris Austriae, ne in vicinia incendio excitato per Cardinalem, Sueuica et alia auxilia, subducantur rebus in Pannonia laborantibus. Agnouit id Archidux, et fratrem se moniturum, recepit. Interea Pistorius apoplexia laborare cepit, etsi aut dictis sit utcunque colligere: sentit se usque adeo (excipiendo forte Cardinalis est cum paucis alijs) victimam publici odij factum, ut nemo, vel ex sacris illis clericis, cassa nuce redemturus sit ipsius sanitatem.

Jacobus Conetius, Parisijs reversus, mihi narrauit, Cardinalem à Papa missum, palam quidem urgere, ut Rex, quae recepit de inquisitione introducenda et de alijs similiter praestet: priuatim sub hoc maximè specie laborare, ut aliqua saltem inter Reges pace facta, certa auxilia contra Turcas, si forte Italiam aggrediatur, impetret: quorum nulla spes affulgeret, ipsis inuicem belligerantibus. Videmus omnes meditari inania. Sed utinam idem ipsi quoque nos faciamus. Migremus, atque ille, molimur, subducamur.

Pro Electore nostro Christum precor, ne patiatur illum crebriore familiaritate eorum uti, qui corporalibus exercitationibus contenti, literam Euangelij, non spiritum sectantes, mundo potius quam Deo viuunt: voluptatum suauium, quam Dei amantiores.

Utinam benedicat Dominus Jesus ubertim coniugio illustris Domini Comitis Philippi Ludouici Hanouiae Comitis, cuius generosum fratrem quo loco res nostrae sint indicaturum confidens, finem facio, ac T. C. et Hanouos D. Comites, qui Christum sincerè diligunt, eidem toto pectore commendo. Basileae 14. Octobris 96

Clementiae tuae seruus

J. Grynaeus.

Pistorius ut duabus Communitatibus in Turgoia obtinendo Parochus Concedat 52.

Illustri, magnanimoq; Heroi, Dn. Ludo-
vico, seniori, a Sayn, Comiti Witgensteinio,
clementi suo Dno.

B: ultima 96 [illegible]

S. Illustris et mihi plur. observande Domine, Fecit pleuritis nostra, qua me ob peccata mea clementer Dnus castigavit, ut nundinis nihil literarum dare ~~possem~~ potuerim. Rhaeti theatricam de Mediatore Christo suam disputationem habuerant, sed eam ne ederent, a nobis rogati fuerunt, quod de theandricis actionib. quaedam, a minus exercitatis minus commode dicta essent. Hactenus igitur eam non ediderunt.

Agnosco autem tuae clementiae piam curam, qua sane opus nobis est hoc tempore. Beza quidem ante me a Dno Piscatore scripto privato, ita exceptus fuit: ut quum ad me quoque eiusdem argumenti scriptum missum viderem, tacendum mihi ducerem, licet illud circumferri animadverterem. Nescio autem an sit ex usu Ecclesiae, si unus aliquis a consensu aliorum discedat, et ~~ta~~ nihil non in diversorum scriptis desideret, denique nova addat placita prioribus: ut ille quidem mihi facere videtur. Sed non sumam mihi iudicium, et precabor bene viro sane erudito, ac certabo, quantum dabit Dominus, charitatis officiis. Et ea est muneris mei ratio, ut non vacet luctari cum ingeniis.

Admonitus autem sum a quodam viro bono, Iberos, qui sibi pontificios nostros Cantones foedere iunxerunt, de Arctopolitis, salva, si Deo placet, horum religione, sibi iungendis, Sinonis tractare consilia. Vident illos militem e suis submministrare non posse: hos autem posse. Ideo a Celtarum societate eos abducere conantur. Tumultae rationes multum possunt. Sed Deus dabit, spero, ut successu res careat.

In nobis vicina Burgundia tanta fames est, ut ea quidam extinguantur, et ut multi egeni ad nos et ad vicinos confugiant. Accedit et metus belli, in illa regione.

Caesar novis edictis in Alsatiam & Brisgoiam missis, hoc agit, ne nostrae religionis hominib. in finib. Austriae superioris sit locus. Satis intempestiva sunt haec consilia, quando auxiliis contra Turcas opus est.

De Pistorio aegrotante aliud iam silentium est. Nondum ille ~~gl~~ galerum obtinuit, licet spes amplissimas, velut Atlas novus ruentis papatus, sibi fecerit. Habet enim inter pontificios, quantum auguror, quib. sit suspectus.

Ecclesia & Schola nostra, una cum Repub. mediocriter pacata est. [illegible] tanto bono recte utamur.

Beza concionari coepit. In Schola non docet, nec disputationib. interesse potest, quia obstat surditas. De rebus Gallicis nihil sani se testari posse ait. Queritur militari licentia corruptam esse urbis disciplinam.

D. Baro a Salis, vicinus meus, omne bonum T. clementiae precatur. Luctatur cum senectute et laborib. confracti corporis invaletudine. Sed bonus animus, per Dni gratiam, facit ut magno animo ferat omnia. Eum Arch. Matthias hac transiens ei persuadere conatus est, ut in Aquilae aulam redeat. Verum ille mavult esse in limine domus Jehovae.

Commendo tuam clementiam cum tota familia Dno Jesu Christo. Basileae 14. Aprilis 97.

Qui tuam clementiam
vere observat
J. Grynaeus.

Illustri et magnanimo heroi, Dn. Ludo=
vico à Seyn, Comiti in Witgenstein,
seniori, Dnō meo clemen͞di.

B. 21. Maii
€97.

+

S. Inclyte Dux et patrone, Sanus foret me, qui sine omni fuco fateor me non
parum debilitari, non quidem laboribus, sed tristi sensu scandalorum, et dissidiorum
quae nonnulli movent, manum de tabula tollere et à scriptione abstinere. Sed vincor
piorum comitate, et non infrequentibus literarijs compellationibus, ut quantum dat
Dominus respondere pergam. Quum autem, Christo teste, tuam clementiam in eodem
observem, gratulor mihi benignitatem tantam; quam literae, quas nuper accepi,
satis testantur. Ago autem gratias clementiae tuae, quod me non dedignatur scribere.
Etsi autem meos lapsus et multiplicem infirmitatem, quam senescens cur deplorem
caussas magnas habeo, me neutiquam dissimulare deceat: fateor tamen gaudium meum,
quod modestiorum & vigilantium quorundam Ecclesiae pastorum gratia, quam à Domino
acceperint, in corde meo parit, alere tumultum quos excitant terrena spectantes mi-
nistri, ita temperari, ut saepe mirer hos à quibusdam gubernatoribus ferri posse.
Huc accedit quod in Democratijs, quidam interdum eminent, qui ignari sacri
fundamenti Religionis, & dicis morisque caussa fugam (cuius sponte destituuntur)
profitentur, nimia autem et prope epicurea cum pontificijs consuetudine corrupti,
tepidi evadunt: et sibi similes verbi ministros accersunt, inque pretio habent.
Vulgus autem prorsus ἐθελοδουλικῶς, in ceremonijs pietatem positam ~~est~~ opinatur,
et vel mammonem colit, vel epicurum: nec fert disciplinae iugum.
Interea Antichristi verum suarum satagunt, & Episcopi cornua sibi sumunt, nec
ita nullos in nassam suam, nunc quidem illiciunt, nunc vero cogunt.
Sed habet hinc inde Jehovah Deus noster semen sanctum, cui, Spiritus sui
rore caelitus subministrato, benedicit, ut lilij instar inter mundi spinas succrescat.
Inclytus senex Baro à Salis, qui T. clementiae amator salutem iubet, explo-
rata per invaletudinem fide sua, resumptis iam viribus, dilectae coniugis nunc
decumbentis nomine, exercetur: sed ita ut fide mundum vincat.
Veneti, recens Legatum Regi Galliae adiunxerunt, Contarenum, qui ipsis diebus
hac iter fecit, homo eruditus & versatilis.
Tandem & Rex, Helvetios, si qua fieri posset in officio, verbis, continendi
gratia, Solodorum misit alium Legatum, qui ferebatur auro nonnihil onustus
advenire. Verum periculum est ne thesaurus in carbones vertatur.
Vidimus edictum Matthiae Archiducis, quo civibus Viennensib. severe interdicit,
ne extra oppidum frequentent conciones, ut appellat, sectariorum. Ita videlicet
bellum Turcicum continuantibus, aeterni numinis offensa augenda erat?
Lesdiguieres, recens auctus victoria de Sabaudis parta, & successus suos
prudenter et constanter urgens, videtur prorogaturus inducias Genevenses.
Religiosi, postquam aliqua sibi necessaria capita à Rege, Ambianum, magno suo
cum dispendio obsidente, extorserunt, auxilia iam miserunt. Verum solidum,
non simoniacum beneficium sese obtinuisse, experiatur.
Mediocris apud nos tranquillitas est: frugum terrae insignis proventus. Sed u-
nam ipsi fructus dignos ijs qui resipiscunt, feramus. Si adhuc superstes est
pius Doctor Crocius precor illi omne bonum.
Servet tuam clementiam D. Jesus, cum tota familia. Basileae Cal. Sept. 97

Tuae clementiae
servus J. Grynaeus.

Constantiensis (instinctu pistorii factum
Colloquium cum Tigurinis.

Illustri & verè Christiano Heroi & Dno
Ludouico à Seyn, seniori Comiti
ad Witgenstein, Dnō clementi
S.D.

B. ultima 7bris 97.

S. Inclyte & magnanime Domine, Quamquam in maximo discrimine Respub. Christiana versatur,
agnoscitur tamen in Ecclesia Deus, & apud fideles magnum manet eius nomen. Habitat
enim ille in cordibus eorum, qui illuminatis oculis mentis Patrem vident, & quem ille misit,
Jesum Christum filium suum, nostrorum certaminum moderatorem. Ille dabit veram pacem Eccl[esi]a,
& franget sagittas, arcus, scuta, gladios & bellum. Ille hostes Ecclesiæ reprimet, ac
spolia detrahet robustis corde, lethalique veterno, à se increpatos, sopiet. Terribilis
enim θεομάχοις est, nec quisquam horum poterit consistere coram eius facie. Ita è cœlis
faciet audire judicium, ut terreni homunciones necesse habeant timere & quiescere.
Exurget enim ad judicium, ad servandum omnes oppressos terræ. Enimverò, quanto
magis adversus eum Iberi & alij Antichristi insanient, eo illustrior erit Dei victoria.
Quod si residui quidam tumultuabuntur, illos ut fasciculos aridorum sarmentorum
ignis absumet. Stemus tantum in fide, & vota gratiarum actionis faciamus, quotquot
non tam ipsum circumspiciamus, quàm eundem murum igneum esse in circuitu nostro expe-
rimur: & nos totos hostias vivas ei offeramus, qui ut nos luce faciei suæ illumi-
nat, ita hostibus terribili vultu apparet. Ecclesiæ enim sua caussa, vindemiat
spiritus principum, & terribilis est regibus terræ. Quis autem, Inclyte Dn[e]
Comes, miretur, ita inhumaniter neglecta Aquensi Ecclesia, Dnum effudisse
contemptum in quosdam Principes: qui si illi constanter adstitissent, principijs
obstando, saluti eorum qui propter ea oppressi fuerunt, & suæ consuluissent gloriæ?
Ego cum Ecclesia Basiliensi, pro ijs qui Christi sunt apud Nassouios, Ben-
thenios, Vesalios, precib. apud Dnum insto: ac spero futurum ut tempestas
ista, etiam eius administros maximè obsit. Justus enim Dns & Zelotes est.
Reverenter aut[em] tuam clementiam oro [ut] silentium meum condonet meæ
infirmitati. Fateor enim me accepisse [...] literas, & debere gratias max.
De justificatione Polanus in Partitionib. à se recognitis, pluribus egit,
& sententiam piam veramque, ut eam nobis retexit Dominus, fideliter
καὶ ἐπιεικῶς exposuit. Id eò indico, ut si inspicere libeat, nôrit locum.
Utinam aut[em] armorum strepitus nō interturbet pias meditationes.
D. Baro à Salis, censet Pontificios Cantones ernari ἀλλοφύλων bellicis tumultus,
quando, è præcipuis Tigurinorum, recens, quendam obvium factum sacrifico numen
crustaceum ut gestant, supplicio propere afficerunt: quod interrogatus, cur non Suito
honorem detulisset, respondit: Jes gehe auf freier Landtstrassen, was geht mich euer
lumpenwerck an. Fiducia fœderis Hispanomediolanensis animum illis addit, forge-
dam aut suffundunt Jesuaepi & Cappucini serpentes.
Pistorius non desinit ad disputationis aleam provocare Tigurinos. Vellet apud
nos ei locum constitui. Sed nostri nō facilè turbatori locum dabunt: qui nunc
meditatur tui Cœnobiorum quorundam in Episcopatu Argentinensi visitationem, motu
proprio: tum profectionem ad suum Card. in Belgio vices Alberti gerentem. Interea suis
nugis quasi ex parte satisfacit, & multis papanis notus magis, quàm charus est.
Ad quæstionem quam Dillenbergensis Ecclesiastes, de usu cœnæ in ijs locis, in quib.
pie docetur, sed citra panis fractionem eadem celebratur, respondimus, quæ dedit
Dominus.
Hoc ipso die, quo ad requiem vocatus fuit ante 12 annos, Christi servus D. Ole-
vianus, doctoris theologi honorem contulimus, Paulo, Danielis Tossani filio, quem
lætamur non tantum doctum esse, sed et διδακτικὸν καὶ ἐλεγκτικόν. Dns Jesus tuam
clementiam, cum tota illustri sobole & cognatis D. Comitib. servet ab omni malo, &
instruat ei vero bono. Amen. Basilea 15. Martij 99.

Vestræ tuæ generositatis
observantiss. J. Grynaeus.

Suity

Ob discrimina Christianae reip: & Eccla.
polonis partitiones. N. a Suitijs sup=
plicio affecti. Pistorij. Tossani filij
Amotij D.

Illustri et magnanimo Dno Ludouico
à Sayn, seniori, Comiti Uitgensteinio,
Dno mihi summè obseruando.

pst B. 12. Apl 99

S. Inclyte & clemens Domine, Quum mihi quidem, ut & alijs Symmystis, religio esse debeat, discedere à publica Confessione Ecclesiarum nostrarum, cui acta Synodi Bernensis respondent, in augustissimo imprimis de Justificatione articulo, propter unius aut alterius Censoris praejudicium: & hactenus charitati bene speranti dederimus, sacru silentiu ad animadversiones in nostra omnia, scriptas & dictatas Juventuti ab ys qui non pauca proferut quib. non animadversione sed et tantum, emendatione est opus: Erit heroicae tuae tum prudentiae, tum aequitatis, in optimam partem accipere, quòd non unus ipse, sed et caeteri mei Collegae, Scriptum illud quod tua misit benignitas, non amplectimur. Patiemur eos qui sibi nihil non indulgent, abundare suo sensu; & orabimus Deum, ut nos omnes sua veritate sanctificare pergat. Mihi sanè non vacat Aristarchoru, qui ocio abundant, scripta legere, in quibus audio velut è turri nos judicari, ita tamen ut occurrat quaedam errata.

Verum ijs omissis, T. Clementiam & caeteros Ecclesiae Nutritios, quibus cordi est sincera religio, pijs precibus ad Deum juvandos, modestia & studio pacis veritatisq; à nostro ordine exhilarandos, & nequaq; altercationibus offendendos censeo. Beza noster in Domino valet, docet & pergit [illegible]. Berna sibi cavet à chreologijs Allobrogicis. Tiguru, Camilli Veceni (qui jam apud Belgas Sulbon est, & per Ptolemaeu tragoediam multiplicem orsus est) & vi faventiu Batavorum odiu adversus veram religionem sustinet. Nos utrinq; cincti, ab una parte à Synusiastis, ab altera à Metusiastis, domi quoq; cum carne luctamur nuptias apertas mundo tradentes. Geneva miraculo floret, stat, stabitq; donec volet Deus. Praesidia dynastarum Ecclesiae subducta videmus. Videmus & bonos quosdam in magna potentia corrumpi: & similes esse ys, qui tum maximè periclitantur, quum athletica est eorum εὐεξία. Sanctos et multos in magnis haerere difficultatibus, experimur. Ideò mihi quidem videtur rectius nos verbi ministros facturos, si demus operam, non ut caeteris doctiores videamur, sed ut ne deteriores, ne inquieti magis, ne nimium mundo deditj comperiamur. Nutant Imperiu, regna, principatus, gentes, urbes. Et querimur, genus infelix, humana labare, Membra cum regna palàm moriatur & urbes. Persecutione, cuius protasin videmus, nobis, [illegible] ad quos longa pacis civilis incommoda redierut, opus est, ut discamus in Dno conspirare, cuius protectioni, te, magnanime Dne Comes, & illustriss. Nassovios, caeterosq; Magnates toto pectore commendo. Basileae ad d. XV. Maij 1599.

Clementiae tuae
servus
J. Grynaeus

Illustri Domino Ludovico à Seyn, Seniori, Comiti Witgensteinio, Dnõ meo pl. observando.

De controverso iustificationis articulo & Ecclesiae afflictionibus e

B. ultima Maij C 49

Gratia & pax Christi multiplicetur in T. C. & cognatis familiis, ad nominis divini gloriam, & ad Ecclesiae & Reip. utilitatem. Amen.

Illustris Dn̄e Comes, Quo maiores, ut certè par est, facio, officia humanitatis, quib. Ecclesiae & Scholae, & in iis viscera Sanctorum, à tua clementia, & quibusdam aliis verè heroicis Gubernatoribus, recreantur & exhilarantur: tantò mihi magis dolet, quòd Scripti illius, quod tua misit clementia, simplici improbatione, videor deesse paci, quae modis omnib. insequenda erat. Sed video Bezam, Simeciumque, non minus quàm Polanum & me, & Confessionis Helveticae, & Synodi Bernensis articulis, cum publicis scriptis, & verbo Dei consentaneis, plus tribuere, quàm privato, hominis docti, sed parti alteri planè ~~addi~~ addicti, ἀμφιλόγῳ Scripto. Et tuli censuram per annos aliquot, sic ut iuventutis ad nos interdum accedentem facilè animadverterem didicisse sic suos mirari, ut nostris nihil tribuendum videretur. & animadverti nobis leges silentii praescribi ab iis, qui cum non paucis aliis, nos nunc in hoc, nunc in illo admodum errare, scriptitare pergunt: Et intellexi cum defensione theseos Cargianae, coniungi opiniones ut mollissimè loquar, nobis nunquam probandas. Ideò si quando pius noster Senex, quid videretur, rogaret: respondere solebam, veram quidem nostram doctrinam placidè tradendam (ut in enarratione Danielis, quae iam prodit, Polanus fecit) et orandum pro censoribus, & cavendum ne publici hostis animadvertant praeiudicio nobiscum agi: & denique nostros monendos ne καινοτομεῖν in animum inducant. Nemo autem eam per multos menses (T. clementia excepta) quod quidem sciam, super hac re mecum egit. Quum autem multa me premant, vix vacat ex aliis audire, quid alii moveant: & quos habeant applaudentes. Credo autem Paulum utrisque optimum canonem praescripsisse: Quotquot igitur perfecti sumus, hoc sentiamus: quod si quid aliter sentitis, hoc quoque Deus vobis retegit. Attamen in eo ad quod pervenimus, eadem incedamus regula, & iidem simus affecti.

[margin:] id est in utramque partem composito.

[margin:] id est nova proferre vel designare

Quum nuper una cum coniuge hac iter faceret Archidux, in Belgium properans, visus est Hollandis nostris Oleam pacis praetendere: confirmant illius de pace consilium Comites Auraico, qui per aliquot dies apud nos substitit: & aliis idem ~~aliis~~ affirmantib. Salutavit Albertum, monitus ut Georgius Fridericus Badensis Marchio, in urbe hac; à Salisio Barone, viro cordato, prius admonitus, ut de consequentia cogitaret: nec fratre inconsulto ageret. Sed ille stipatus socero & affine, hoc ut adducto, sed in ipso colloquii initio febre catarrhali correpto & abeunte, paucis re peracta, digressus est. Dominus Iesus vias regat.

Cardinalis Constantiensis, quasi nihil in Belgio negociorum haberet, insignendo Pistorij, literas ad ampliss. urbis Tigurinae Senatum dedit, παραδιατριβὴν urgens: ut si possit turbas det. Et in Pistorium ab ipso-met diabolo in oras Constantienses, ad res turbandas, adductum esse, audientib. legatis Tig. & Lucernatib. quidam Cardinalitius Commissarius, palàm dixit: in vino veritatem aliquando esse ostendens. Hoc elogio Apostatam hominem Romanae religionis exornandum censuit.

[margin:] id est collationem.

Prodiit Ernesti Friderici Marck. Badensis praeclarum Scriptum de controversiis Religionis, admonitorium ad fratrem: qui utinam, Deo ipsum illuminante, desinat Rotelensi suo Superintendenti, crudeliter nos lacerare in vicinia, eiusque asseclis, ita favere, ut nostri Senatus honestiss. & aequissimae petitioni de finib. viciniae, suo bono, locum tandem det. Pastorib. eius provincialib. illius Basilea revera instar nutricis est.

Benè vale inclyte Dn̄e, & pro tua clementia boni consule meam fiduciam, quae certè tui est observans, Utinam et benè sit illustri D. Johan. Alberto Solmensi & fratrib. eius.

Basileae 30 Augusti 1599.

Tuae clementiae

servus

J. Grynaeus

Illustri et ma. christiano Dno Comiti,
D. Ludovico à Seyn, seniori, Comiti
Witgenstaino, Dno clementi.

De Iustificationis controversia
[illegible] Alberto archiepiscopo & Cardinali [illegible]
Antonius [illegible], pistorio

tandem

B. 25. The 99

S. Inclyte Dn͂e Comes, Epistola tua, quam 13 Octobris scriptam, 24 Novembris accepi, pars altera, de rebus familiaribus, & obitu, tum generosae tuae conjugis, tum aliorum, fecit ut tibi optarem videntem sensum gratiae Dei, qui in magnis doloribus solet in Sanctis militantibus stupore quodam insensibilitatis, deleri: ut tibi, idem quod olim Paulo dictum à Dn͂o statuas: Sufficit tibi gratia mea: nam potentia mea per infirmitatem consumatur. Habitat enim in te potentia Christi, ut et in infirmitatibus posses acquiescere.

Praemisisti tu quidem heroicam conjugem, sed ad conventũ primogenitorũ conscriptorum in caelis, ad Spiritus justorum, ad primitias Deo & Agno sacras, imo ad Christum Jesum. An quia fidei, int invocationis Dei, & militiae in hac vita, consortem eam habuisti, malles eam, tua, tuorumq; caussa diutius tempestatibus mundi agitari, quàm sua caussa in portu beatitudinis triumphare? Quae tua charitas est, minime velles.

Quotiens aut Paradisi plantulas, liberos videlicet & nepotes, seu praesentes misericorditer aspicis, seu absentes fideli animo votóq; (pro obtinenda benedictione divina adjuncto) lustras, seu in caelum receptos gratulatione prosequeris: nonne plus tribues foederi gratiae & eius fundamento: Ero Deus tuus & seminis tui: quàm desiderio carnis (quod obedientia fidei, latens in summissione sub potenti Dei manu, nisi temperet, nimiũ esse solet.) terrena nimium curantis? Da veniam, magnanime in Christo Dn͂e comes, quod licet in tui simileb. agnosco superiora dona, communem tamen cum inferioribus naturae infirmitatem tibi quoq; negociũ facessere mihi persuadeo.

Jam cum cognati sanguinis affectiones, bonas mentes mirificè afficiant, patere, quaeso, me tibi familiariter hac saltem in parte contradicere, & inde argumentũ solatij, à Spiritu monstratum, petere, unde quicquid in te carnis reliquum est, doloris ansam arripit. Si quid Nassovijs, jam diu obiectu corporum & opum suarum, Rempub. Christianam in Belgij parte & finitima Germania, propugnantibus, secundum carnem triste evenit: annon hi, & apud Deum & pios homines, addam & apud Electos Angelos, maxima eorũ felicitas & gloria est, quòd Macabaeos nostri aevi agũt, & pòst tot Nicanores, Lysias, Menelaos & Alcimos, Antiochũ epimanem extinctum vident! An parva Dei gratia est praelia Jehovae praeliari, sanctum ovile propugnare, pro Repub. arma sũr decus gerere? Quam mihi aliam Dynastarum familiam hoc tempore dabis, cuius opera perinde utatur Deus, ut utitur illa vestra? Et mirabimur, aut eã dolenter feremus, si ex ea nunc hic, nunc ille Josiae fato, non errore, fortiter occubat!

Jam, si piae animulae illius, cuius terreni domicilij parens erat generosus D. Comes Jos. Albertus Solmensis, migrationem ad animam avi, religiosi D. Comitis Conradi, imò ad redemptorem Jesum, secundũ propositum gratiamq; Dei peractam, credimus, ut certe credere debemus: quam benè, beateq; cum ea actũ sit & agatur, non est obscurum.

Lugenda autem, vel cruentis lacrymis profluentibus, esset, generosi Comitis Henrici Solmensis lethiarius, nisi benignissimo Patri caelesti [margin insertion: visum esset.] è re ipsius esse, ita dispenere à cupiditatib. mundi; & desiderio liberationis à toto peccato & à miseria, desiderio quinetiã clari conspectus Jesu Christi eum afficere & firmare.

Eadem quidem, ut scribis, lues, quae etiam, etiam junioris Comitis Nassovij Dn. Johannis conjugem sustulit: si proximã spectes caussã: sed si voluntatem Dei, quae suprema omniũ caussa est, attendas, Christus illam in patris sui domũ transtulit, & quidem hora beneplaciti sui, in quo & nobis illi acquiescendum est.

Expers fuit solatij.

Sed enim ne quidem Jonathae fatum, quod expertus est alius ille e Solmensi stirpe, quem, ais, in conflictu contra Hispanos globo interemptum esse, Preciosa enim est in conspectu ~~oculi~~ Jehouae mors misericordium eius. Quam multi chronicis morbis contabescunt, saepius orantes Deum ut seruos suos dimittat in pace? Cita Sanctorum mors, nihil detrahit virtuti Spiritus sancti, eos in subito agone consolantis. Quid animi consentius fuisse Adolpho Caesari, quum se sauciium, & labore certaminis defatigatum, experiretur peti caesim & punctim ab Alberto? Certe annales nostri testantur, hunc, quum decennio post a fratris filio & coniuratis trucidaretur, sensisse quid intersit inter bene & inter male sibi conscium. Male enim periere quotquot iniustae caedis boni Imperatoris Adolphi auctores & administri fuerunt. Ut maxime autem Hispani sibi videantur triumphare, peruersa in gaudium gaudent, & nisi resipiscant, post terrenos triumphos, sentient infernalia encomia. Fuerunt in his terris Antimachi Auraicus & Albanus. Tu jam, pro tua prudentia aestima, postquam ambo e terreno proscenio digressi ~~sint~~ sunt, uter beatus censeri debeat, utri sit gratulandum?

Existimo autem Deum, qui Hispanorum crudelitati Clivenses & Westphalos quosdam nuper exposuit; ~~et~~ & nobis in memoriam reuocaturum dictum Christi Domini: Quod ego jam facio, tu modo nescis, scies autem postea: Ubi suos exploraverit: id ipsum acturum quod Hieropsaltes noster cecinit: Profecto furor hominum confitebitur tibi: residuum irarum succinges. Non enim dabit Deus desideria sua impijs. Nascetur inter hostes domestici dissidij vomica, cuius purulentia & res ipsorum perfundabit, & progressiones aliquatenus cohibebit.


Cordatus ille noster Baro a Salis destillationibus propter assiduis laborans, luctatur cum senectutis incommodis: & generosa eius coniunx, linguae nostrae ignara, quae Euangelij studio, cognatos Pontificios & luculentam haereditatem Christo postposuit: & habet cur πλεονεκτήματα cognatorum mariti ex[illegible]: in Christi schola discunt animae & mundo valedicere. Multus mihi cum illis super hac re sermo est. Saepius autem ille me monere solet, ut si quid literarum dem, tester, se T. C. gratiae pacisque Christi multiplicationem optare.

Seruet te πάροικε gratia Christi (cum tota domo). Basileae 25. Nouembr. (99.

Tuus in Domino

J. Grynaeus

& fraudes, injurias



Epistola consolatoria

Illustri viro, D. Ludovico Simiori,
a Sign, Comiti Illustrissimo, patrono
plurimum observando.

Budberg. S[illegible].
14. Jan. 1600

8. Jan. [illegible]

+

S. Inclyte & magnanime Dne, Tui literas tuas 6 Septembris anno superiore datas, 18. Januarij demum accepi: & interea cum gaudio vidi nepotes, illustriss. D. Comitis Nassouij, quos Geneuam tendentes, dilectus frater D. Piscator nobis complectendos commendauit, vidi: veniam in diuturno meo silentio dari peto: quia haud memini anne nundinis autumnalib. aliquid scripserim

Dum Rex circa finem Nouembris, bellum Sabaudicum urgens, ad propugnaculum S. Catharinae Hispano-Sabaudicae, Geneuae infestum, accedit, Bezam ad se vocauit, & amanter complexus, spe facta quod benigne cum Geneuensi quoque Ecclesia acturus esset, ita dimisit, ut mitteret Exodia regia, quae prius senex Urb. Scholae despendant

D. Couetus | Metis autem ad nos reuersus; mihi narrauit, se intra moenia, sub dio, Coenam Dni 8000 fidelium ministrasse quod regis permissu, nostri, numero superiores, in ipsa urbe, nondum in imperata domo precationum, licet ab ipsis aedificata, conueniant.

Multa mania belli sparguntur: sed dubium non est, & destructum iussu regis illud propugnaculum, & Gaiensem praefecturam ac S. Victoris Geneuensibus pleno iure datam: quod beneficium utinam sit solidum. Sed haec ex viris habebis.

Ego & de senectute, & de viduitate tua clementiae cogitans, precor ut absque solicitudine sit; & repeto istud dictum Pauli: Qui coelebs est, curat ea quae sunt Domini, quomodo placiturus sit Domino

Generoso autem D. Maximiliano Pappenheimio, & filiae tuae, toto pectore precor ut sic curent ea quae mundi sunt, ut tamen Deo placere inprimis studeant: ac sentiant praesentiam gratiae Dei in vita coniugali, & in communione Beneficiorum fidei, charitatis & spei.

Utinam autem bene sit, & illustri D. Johanni Alberto Solmensi, nepoti, & eius fratribus.

De fato autem virorum qui Dei consilio in Repub. & Ecclesia seruiunt, mihi cogitanti repetendi videntur versus: Cuilibet officium facias, ne praemia spores:

Pro precio inuidia est, & probitate probrum
Non est rara bonis iniuria tempore nostro:
Sed Deus & tempus fors meliora dabit.
Ergo Dei caussa virtusque fidesque colenda est:
Non oculus mundi, iussa videre Dei.

Delector sententia: licet, tu fors, parte tribuam: qui in prouidentia Dei acquiesco. Et libenter allego, amici mei D. Zuingeri p.m. aedium inscriptione: Sidera pereunt qui despiciunt caduca immortalia: Stultescit ergo qui excolit, Aeternus haec mortalia.

Dicitur iubilans animus obiecit Cardinalem Batoreum acutaci; Razuilium morbo Constantinensium veneno. Hoc letho dato, Pistorius amisit dexteram: licet sint qui eum aspirare ad licentiam tacitam podumque affirment.

Filijs tuae clementiae & filiabus precor ut porro quoque experiatur Deum rectorum generationi benedicere. Ut Nassouios omnes seruet Dnus, contra violentiam & fraudes Hispanorum custodiat, Christum cui militant precor.

Bene in Dno Jesu vale & viue inclyte Dne. Basileae 26 January

Tuae clementiae seruus

J. Grynaeus.

D. [illegible]

Illustri & magnanimo Dnō Ludovico
à Seyn, Comiti Witgenstenio, seniori,
Dnō & patrono meo S. D.

B. 2. Martij
1606

Illustri et magnanimo Dnō Ludovico
à Seyn, Comiti Witgensteinio, seniori,
Dnō et patrono meo S. D.

+

B. 2. Martij
1606

S. Inclyte Dne Comes, honorande patrone, Nudius tertius accepi tuas literas, ad quas breviter respondebo.

Primum magni beneficij loco mihi est, quod boni consulis, vel illud meu officium, quo testari soleo, minime, sic me Christus Dns gratia sua dignari pergat, simulans aut quicquam dissimulans, me & te, & Nassovios, Solmenses, caeterosque in fide Christi expertes fermenti pontificij vobis conjunctos Dynastas, in visceribus Jesu Christi & diligere & revereri: ut oculos Reipub. & Ecclesiae, ut viros dexterae Jehovae, ut praelia Jehovae decertantes. Ac eo nomine magnopere velim, & me, & alios mei ordinis homines, vobis sancte exsularandis, operae pretium posse praestare. Et quum me non longe a meta abesse, ex inditijs morbi colligam, quid aliud malim, quam vera dicens, sancta faciens, & bona vobis alijsque pijs optans, viam universae carnis inire!

Porro, quum non quaestio sit de eo, quod in precibus Sanctorum militantium juris divini est, de quo Apostolus nr, Indesinenter, inquit, orate: de eo simpliciter respondebo quod est positivi juris in Ecclesia. Publicarum precu, alias judico ordinarias esse, sive (praeter Dnj diem) certo die hebdomadae, sive mensis indicantur: quia redeunt in orbem: alias censeo, propter caussas extraordinarias, v.g. famem, bellu, pestem, aut aliud horrendu Dei judiciu, quod Gentem aut familiam exerceat, a Senioribus una cu jejunio, aut et sine hoc, indici & requiri, sed ita ut libertati Christianae suus sit locus: & ne quis invitus, mulctae aut carceris metu, ad eas cogatur.

Heri honorifice sepelivi exuvias terrenas, vere pij & sapientis viri D. Rodolphi Baronis a Salis, ac Jesaiae dictum: Justus perit, Ecclesiae cui serviit, exposui. Magno & ornamento, & si consilia spectes praesidio, tota nra gens orbata est. Conjugem reliquit, linguae nrae ignaram, & quae Euangelij caussa haereditatem luculentam ab altero e fratribus destinatam, cu conditione, ut Veronam rediret, superiorib. annis neglexit. Commendavi viduam nris Dnis Politarchis, urbis praefectis, quoru patrocinio ei opus fore animus praesagit. Biduo ante intellexeram, Noribergae ad Christum migrasse, patientem & constantem illius testem, D. Joachimum Comitem Ortenburgensem, quocu frequenter per literas, sed de consolatione christiana conferre solebam. Illos antiambulones, ut & consortem pridem vitae & precu tuarum, & magnanimi Comitis Nassovij Johannis junioris heroicam conjugem, nihil ut de alijs Sanctis dicam, quis non libenter, Christo duce, sequatur?

Pro religiose & diserte scripta concione habita in funere Conjugis tuae p.m. mitto rude carmen, complectens capita consolationis, quae filiae meae pridem proposui, quum illam evocaret Dns Jesus.

De publicis hoc unum addo, Quum Rex Hispanus, initio a nostris Pontificijs pagis foederis subsidiarij non sine summo facto, sibi persuasisset, Urbes & Rhaetos eo accessuros, spe lucri inductos: metem in ltis immotam & a conjuratione (ut proprie loquar) alienam manere videret: quod illos non magno sibi usui fore videret, parca, forsan & maligna manu pensiones solvere caepit, carum admodu indigis. Inde factu, ut quu nuper Legatus Regis Franciae de renovando cu tota gente Helvetica foedere, opt. conditionib. modo a societate cu Hispanis & Sabaudis discedant, egisset, concors responsu quo testati sunt, Se modo rex & satisfaciat ordinib. & conditiones veteres renovet, cum alio nemine malle conjungi, dederint. Ego quid agatur scribo: interim exoptans, ut haec gens ad frugalitatem avitam, priscos bonos mores, reversa: foedere gratiae sit contenta: ut olim Zwinglius p.m. suasit.

Ut in Dno Jesu bene sit & tibi, inclyte Dne, & heroicis liberis: & nominatim illustri Dno Johanni Alberto Solmensi Comiti, toto pectore Deum precor. Basileae 3. Aprilis 1600.

T. clementiam
reverenter colens
J. Grynaeus.

D. Grynaeus de precibus publicis
ordinariis et extraordinariis
vis [illegible]

Illustri et verè christiano Comiti, Dn.
Ludovico à Seyn, seniori, Comiti
Wittgenstenio, patrono meo.

B. 10. Maij 600

S. Illustris Domine, Si qua res alia provida cura opus habet, ablegatio generosorum
Adolescentum in extera loca, eadem illa inprimis eget. Laudanda itaq[ue] est inclyti
Domini Comitis, Johannis senioris Comitis Nassovij, vigilantia circa eam rem, quando
is censere dicitur, non temere plantulas Reipub. Christo pridem consecratas, deportandas
in Idolomaniae Sodomam, & intemperantiae Gomorrham Italiam: quae absorpsit
praeter alios Carolum Ortenburgium, Bentheimium, & recens Vratislaum Zerotinum mad[?]
& complures alios. Sed dum deliberatur diu, & Adolescentes ipsi abituriunt, ac eisdem
suffragatur consuetudo, exempla, & quorundam exhortationes, non consulitur erumpentib.
in extera loca, & fiunt immensi propemodum, & parum frugiferi sumtus. Dicam ergo
quid mihi in mentem venerit, qui tales hospites saepe vidi, multos excepi pro re
dedit Dominus. Basileam in ipso aditu Galliae, Italiae, Germaniae, loco amoeno
& salubri sitam, Academiam habere, Gallicam Ecclesiam & liturgiam habere,
nemo ignorat. Est apud nos integer vitae & officiosus & hospitalis, & prudens
~~& officiosus~~ vir Franciscus Castilionaeus, serenissimo Electori Palatino & optimo
cuiq[ue] in eius aula sic notus, ut non dubitem probatum quoq[ue] esse. Eius familia
Italicè, Gallicè, Germanicè loquitur & benè audit. Tres filios adultos habet,
qui ob illarum linguarum usum, & Juris Ciuilis scientiam, morumq[ue] ciuilitatem,
generosis Comitibus magno possent esse usuj. Hi nunc Heydelbergae degunt.
Posset Dnus Castilioneus, unus, reuera, de filijs vestris junioribus praeclarè
mereri, si quidem eorum susciperet curam. Posset liberalia exercitia equitum
& alia instituere, minore sumtu, sed maiore fructu, quàm fit Veronae & alibi
in Italia, ubi multi nostrates profundunt pecuniam inutiliter, & opum ostentatione
auaris se deridendos propinant. Habet Dnus aedes non suas, posset &
conducere maiores. Quod summum est timet Deum, agit omnia prudenter
& bona fide. Nunc ego vobis Francofordiae e nundinis accersendum judicarem,
& coram audiendum. Nam de commodis & incommodis nostris certiores fac[iet].
Nuper quidam generosi Morauj, Romae agniti à Ditrichsteinio Cardinale, qui
est Olomucensis Episcopus, hoc propterea, commendati alteri cuidam blandiloquo
Cardinali, vocati sunt comiter, dictum illis: Nihil periculi, modò ne cui scandalo
sint: hoc purpuratos non fugeat, ex illis quosdam, Basileae cum Grynaeo, Genevae
cum Beza habitasse. Papam ipsis nihilominus benignum. Futurum ut usu digna
vis monstrentur. Quid multis? E culina Papae fercula, quae Principi apponi possent,
ad illos transmissa. Ante illos, ~~quidam~~ is ipse Jos. Dionysius Zerotinus,
quem tua clementia Heydelbergae in aula vidit, dum indulget Xenagogis,
eo adductus fuit praeter voluntatem, ut ad Papam ductus, oscularetur pedes.
Et sunt quos ipsae illecebrae fallant. Quare prudenter feceritis, si vestros in
loca Christo sacra potius ~~mise~~ mitteretis. Viuitur quidem & apud nos in mundo.
Sed quum in lectionibus theologicis & historicis: in concionibus germanicis & gallicis,
publicè: privatim verò in colloquijs ad ea quae sunt timoris Dei, praecatus excitetur:
quum Italicam & Gallicam linguam hîc discere: quum studijs miscere liberalia
exercitia possit: minus certè hîc periclitabitur, quàm in Italia. Sed si vestrae
prudentiae ita videbitur, cum D. Castilionaeo colloqui, & illius officia experiri,
res ipsa quid facto sit opus, docebit.

ad Caesar.

Oro aut T. clementiam reverenter, ne molestè ferat quod nuper non respondi: qui T. C. et familias heroicas Nassoviam, Solmensem & in fide Christi coniunctas, ut par est in visceribus Jesu Christi diligo & veneror. Sed sentio me in inclinatione hac, ad metam tendere, Christo duce, qui vt eripiat nos omnes ab omni opere malo, & servet regno suo caelesti, ex animo eundem precor. Vnam aut benè sit illustri Dno Johanni Alberto Solmensi: et omnibus tuae clementiae filiis, qui ubi nunc Dei consilio versantur, ignoro. Servet invicta Christi dextera praelia Jehovae decertantes Nassovios, cu suo duce Macabaeo, cui gratulor victoriam Rheinsbergae recepta partam. Vnam conservus meus Doctor Paulus, qui T. C. est à sacris concionibus, cui or bonu precor, historicas ad me super actis Mauritii, det Epistolas.

Dominus Jesus Christus T. Clementiam exaudiat una mecu orante: Christe precor nostris faveas miserrime rebus, & semo [illegible] gravi, miserere sepultae in variis vitae aerumnis, iam vespera nostram est clausura diem, cum tempore labitur aetas.

Basileae Calendis Septembris . 1601 .

Qui tuam clementiam ex animo colit
J. Grynaeus.

Illustri et magnanimo Domino Ludovico seniori, Comiti Witgensteinio, Dno clementi, et mihi plur. observando.

Consilium de filiis alligandis, & Castiliango. Rc. Romanensi Marchas.

B. 154b

101

S. Illustris Dñe Comes, Quum non dedignetur tua benignitas et mecum per literas conferre, visum mihi
est, omissis de mundi vanitate narrationibus, de Hieropsaltis dicto agere: Jehoua, ne abijcias me
tempore senectutis: quum deficiet virtus mea, ne deseras me. Delector autem Mantuani apostrophe:
Christe precor nostris faueas mitissime rebus, Et senio miserere graui, miserere sepultae. In varijs vitae
aerumnis jam vespera nostram, Et clausura diem, cum tempore labitur aetas. Audio et Mattheum
Wesenbecium precari solitum: Qui me seruasti puerum, juuenemque, virumque, Adsis opem misero nunc quoque
Christe seni. Soleo aut reliquias senum in vtraque Repub. animo intueri, & eisdem benè precari.
Inter nostrates, Beza cum Syndico Roseto occurrunt, Geneuae. Bernae, Samuel Neuinus
septuagenario maior, Antistes, nuper vxide donatus. Basileae inter politicos, Cons. habet Jacobum
Oberriedum, qui Lutherum audiuit, primas conciones Lipsiae habentem, mortuo Duce Saxo-
num Georgio, anno 1539. Inter collegas meos Jacobus Meierus 14. annis me superior est, qui
iam agit 62 aet. annum, caeteros collegas omnes natu minores habens. Tiguri, Burcardus Leman-
nus; qui eodem quo post Zwinglium, Bullingerus: post hunc Gualtherus, & demum Stumpfius,
ministerio fungitur, quem viridi, viuidaque senecta esse audio, superiorem 72 an. aetatis.
Stuccius, mirè canus, triennio propè me minor aetate, pietate et doctrina superior.
Hieronymus Baumgartnerus Duumvir Norbergae podagricis dolorib. accersita senecta,
laborat: magnum patriae lumen. In silesia occurrit orthodoxus ille nobilis Joachimus
à Berg, cui cum chronico morbo, et cum adversarijs in aula τῶν αὐλικῶν [?], cum
intemperie Mataeologorum, jam diu certandum fuit. Inter superiores tua mihi occurrit
sublimitas, & illustrissimus Nassouius Dillebergensis: loquor de ijs qui fidem Christi sine fermento
profitentur. Proximè accedit ad vestram duorum aetatem Princeps Bipontinus. Caeteri juniores sunt.
Quotquot autem sunt maiores vno spiritu orent: Domine docuisti nos à pueritia nostra, et huc vsque
annunciauimus mirabilia tua. Itaque etiam vsque ad senectutem & caniciem, Deus ne deseras nos, donec
annunciemus brachium tuum aetatibus, & cunctis venientibus fortitudinem tuam. Junioribus Magnatib.
singulis id quoque precemur, quod habetur sequenti Psalmo: Deus judicia tua regi da, & justitiam
tuam regis filio, vt judicet populum tuum in justitia, et pauperes tuos in judicio. Rectè enim vetere
prouerbio dicitur, Facta juuenum, consilia mediocrium, vota senum.

Neque terreamur tristibus spectaculis & caedibus Sanctorum, quas patrant, tam qui idola
in cordibus, quàm qui ea manibus quoque portant et colunt. Videmus enim hos quidem adverso
Marte bellare, illos autem crapula seipsos jugulare, & vltrices flammas experiri. Et quum
nobis Subjectorum sors dolet, primum hoc statuamus, non maiori nobis curae esse electos
flammae proximos, quàm ipsi Deo: deindè, multos adulterino euangelio delectari ob
carnis licentiam et vitae commoda, et odisse lucem, amare tenebras.

Pannonicum bellum, Dei prouidentia, non vllo nostro merito, pax nostra est. Belgica,
vt nobis ~~[illegible]~~ vicinior, ita notior, si quis propheta ex ore Jehouae, anno 1584 (quum
Antichristi Auraicum dolosè trucidârunt) orsus praedixisset ordinè, quis nostrum fidem, vta
vt aequum erat, adhibuisset? Ipsi rerum maximarum euentus, ipsae bellorum diuturnitates,
ipsa ducum aduersi agminis internecio & confusio, satis testantur Jehouam exercituum
paruo agmini adesse & praeesse. Vt liberè dicam quod res loquitur, An non exempla
Mauricij & patruelium eius debebant excitare Dynastas, ad vigilantiam, ad fortitudinem
ad jus & gloriam Germaniae asserendam? Sed illa pestis quae ex intemperantia oriem
ducunt, & illis et nostris hominibus praecipuam noxam adferunt. Sed manum de tabula.
Et tuae clementiae totique familiae, et fidei affinitatisque vinculis junctis Nassouijs & Solmen-
sibus, omne bonum precor à Patre luminum. Basileae 12. Martij 1602.

Qui tuam clementiam
in Dño obseruat

J. Grynaeus.

Illustri & magnanimo Domino Ludovico,
à Sayn, seniori, Comiti in Witgenstein,
Domino meo clementi.

B. 4. Aplis
602

[illegible]

Ut benedictione pacis suae tuam clementiam D. Jesus impleat, toto corde opto.
Accepi autem literas, & quas D. Hippolytus attulit, & recentiores, in quibus mentio
facta est Achatis mei christiani, Tossani, cuius, ut & patris eius, benedicta sit
& memoria & posteritas.
Caeterum, quum perridiculum nobis spectaculum Mundus exhibeat, in spinis
voluptatum & opum ficus, non sine vulneribus, petens: & inversos Alcibiadis
Silenos adorans: cur lucis filij per gratiam, non discimus, Ecclesia magistra,
et Carni duris & molestis, Spiritui grata & utilia decerpere; & spe gaudere?
Donec volet Deus nos militare, in Christi sui militia, annne rude ante tempus
exactum, nos donari petemus? Annne veteranus suus ille unquam defuit?
Martyrij Abeli spectatores esse recusabimus, qui fatemur, vel ipso nobis
martyrio, si imperator Deus iubeat, esse defungendum?
Si tyrocinio nostro adfuisse Dominum vere gloriamur & gaudemus, annon in
senecta nostra infirmitate, virtutem eius praevalituram esse, credemus?
Si multa sunt quae nos offendunt, quidni compositis animis ea feramus, quae
quae Deus imponit pondera: qui Deus tot sceleribus contaminatum mundum, ferat?
Ecquando tandem discemus recte pronunciare, de finib. bonorum & malorum?
Secundae res profanorum, non sunt in censu bonorum: nec sanctorum res adversae,
in numero malorum: etiamsi furenter caro reclamet.
Quando ~~tu~~ et fatebimur id quod res est, plura nos bona de manu Domini acce-
pisse quam mala: heu, miseri, saepius in conspectu Dei, peccaverimus, quam recte
egerimus? Quando queruli esse desinemus in carnis favorem, & grati esse inci-
piemus, ut Spiritus exhilaretur in Domino Servatore nostro?
Si vere credimus Christum venturum ad iudicium; cur piratis gaudium
ijs qui foris sunt, invidemus? cur conformari in animum Christo, durum videtur?
De morte cogitantibus, cur non venit in mentem, Spiritum redire ad eum
qui ipsum dedit: qui et cum corpore redivivo et glorioso, sit aeternum conju-
naturus? Immortalitatis candidatis per mortem ad vitam, Christo duce, perrum-
pendum est: exemplo strenuorum militum, qui per hostilem evadunt aciem.
De Macabaeis nostri aevi, quorum unus nuper me dignatus est literis suis ex-
hilarare, cogitanti, maior videtur gloria & felicitas, quam priscorum illorum fuerit:
tametsi horum laudi nihil detractum volo. Confer tu, si libet, Mauricium in acie
(ut videtur) assidue periclitantem, cum ‡ Terapontigonoplatagidoro saxo, qui
nuper interfecto Antistite christiano, inter pocula triumphat, brevi crapula
extinguendus. Cuius e duobus maiorem esse gloriam, censebimus?
Sed unum addam, Ciceronis ipsius: Meae res in adversis fuerunt bonae, in
secundis fluxae: utinam perpendamus, adhibita norma fidei & spei Christianae,
ut ad consolationem nostram persuasum habeamus, & si pios licet acerrime a multi-
do oppugnentur, & exigua habeant humana praesidia, minus tamen periclitari, quam
eos qui confidunt in currib. & equis. Bonus senex Beza vivit cum suis,
ita ut b. Augustino, in postremo vitae actu, bello Vandalico ardente, fors
aspera ferenda fuit. Prooemia quidem belli tantum apparent: sed non est pax
impijs. Ecclesia autem Sapaudica penitus exclusa est. Servet tuam clementiam
una cum Heroe Nassovio, & illustrib. familijs, in validissima Jesu Christi dextera.
Basileae 15. Aprilis, qua literas tuae clementiae accepi

Qui dominationem tuam vere colit
& ut eam custodiat Deus ab
omni malo, omniq. viro bono
instruat, constanter & sincere precatur,
J. Grynaeus

‡ a propriae ditionis everso-
re

D. Tossani mors, exhortationib. ad [illegible] mirifice [illegible]

Dem Wolgebornen Herrn, Herrn Ludwigen,
von Sayn, dem Eltern, Grauen zu Witgenstein,
meinem gnedigen Herren.

Wo glegenheit schicke
man disen Brief
naher Dillenburg.

P[illegible] B. 5. Maij. 1602

Gratia & pax Christi tuae clementiae ita multiplicetur, ut temperet amarorem
aloes vitae huius, et accendat desiderium migrandi ad Christum regnantem nostro
communi omnium Electorum, bono ad dexteram aeterni Patris.

Aloen voco, quod apud Livonios nunc periclitari videtur Inclytus Comes
Nassovius, Dn. Johannes junior, ut ex literis boni Sculteti, qui Heidelbergae
evangelizat, nuper didici. Existimo tamen id quod mihi novum videtur, vobis
esse & vetus & usitatum. Quot enim in Belgio, ardente diuturno hoc civili
bello, illa familia Macabeos tulit! Et quum nullus finis appareat istorum motuum,
quam multi in cunabulis nunc vagiunt, & paulo post vagientur, quorum ore, manuque
Deus inimicum destruet ac vindictae cupidum! Succrescent quidem spinae eorum
qui suo malo ἀδοπαξίαν prosequuntur: sed non deerunt viri dexterae Jehovae.
Obsecro autem te, Dne Comes vere mihi colende, ut quod facis, Gedeonem nostri seculi
Mauritium animo intuens, non desinas bene sperare. Enimvero, qui providentia Dei
res administrari humanas persuasum habent, iidem nihil eorum quae non assequimur (quia
carni displicent) dolenter ferunt: sed sibi quoque dictum credunt id, quod Dnus in
quem credimus, Petro olim respondit: Quod ego nunc facio, tu modo nescis, scies
autem postea. Si servi sumus, in multitudine tristitiarum nostrarum cogitationum, consola-
tiones Dni laetificent animas ~~fer~~ nostras.

Unum autem desiderium clari conspectus Dei, & liberationis a toto peccato et
a miseria, quod Spiritus regenerationis in nobis accendit & fovet, efficiat in
nobis contemptum vanitatis mundanae, sic ut non ethnice, sed christiane dicamus:
O curas hominum, o quantum in rebus inane est! Ubi est Bironii vulpina
et lupina pellis? Ostendam nonne hactenus defendit Deus? Gravia, quae quidem
cessit Gedeoni, nonne testatur alia dari, negari alia? Hodie nostri Legati
iter ingressi sunt ut sacramentum foederis subsidiarii epimachici Regi Franciae praestent,
si nostrae Religionis per eius regnum hominibus benigne caveat, nec bellum iniustum
moveat. Iis bene precatus sum: quia foedera cum superioribus & inaequalibus non
carent periculo. Bonus senex Beza adhuc spirat preces fidei pro
Ecclesia cum qua & in qua militat. Helvetia mediocriter pacata est. Sed audi-
mus vicinis Argentinensibus obtrudendum ex familia Austriaca Episcopum:
cui sponte cardinalis Mediomatricum, alter forsan volens nolens animo, cedat.
Diu est quod veritus sum ne Deus in eam urbem graviter animadverteret,
ut enim olim Deus sub Justino horribili terraemotu Antiochiam concussit, quae
Severi Eutychiani latratus contra veritatem diu tulerat: ita quum illa urbs,
spretis Principum & urbium bene moratarum, piis monitis, diu indulserit
Ubiquitariis horribiliter maledicentibus: quis dubitet, instare ei grande judicium Dei?

Bene in Christo vive & vale, cum tota familia & inclytis Nassoviis, Solmen-
sibus & aliis qui Christi probrum Aegypti thesauris anteponunt.

Basileae 5. Septembris 1602.

Tuam clementiam in Dno Jesu
reverenter colens
J. Grynaeus.

Illustri & verè christiano Comiti,
D. Ludovico à Sayn, seniori, Comiti
Witgensteino, Ecclesiae nutricio,
Dnō meo clementi.

S. Illustris & magnanime Dne Comes, Heri mihi reddita sunt tua literæ, quas quum animadverterem varia complecti, venit in mentem dictum: Plus aloes quàm mellis vita hominum habet. Utinam aut apiculas imitemur, quæ ex amarissimo thymo, dulcissimum mel conficiunt. Aloe enim imprimis nobis opus est, ne desit carni nostræ condimentum, & ne oboriatur et mellis fastidium. Si nos ipsos judicaremus, non puniremur à Dno,

Illustrissimo Comiti Johanni Nassovio, seniori, ea quæ ad vitam et pietatem pertinent, ita continuari opto, ut nihil decedat desiderio liberationis à toto peccato & à miseria. Multa, una tecum, vidit, quæ si memoria repetantur, fastidium mundanæ vanitatis, & desiderium claræ conspectus Christi, simul accendere poterunt. Jam verò, quum suspensis animis multos eventus præstolemur anxiè: cur ~~non~~ potius ea quæ in terris geruntur spectare cupimus, quàm ea quæ in cælis geruntur? In procinctu sumus: et nunc hunc, nunc illum è statione terrena subduci videmus. Succinctis ergo lumbis mentis nostræ, stemus: et lætemur nos præparari ad æternæ vitæ consuetudinem, et accepisse arrhabonem hæreditatis cælestis Spiritum Sanctum.

Memini, quum ante complures annos Genevam hostis quoque tentaret, ut nunc facit, me, Dn. Bezam, de ea Phrygiæ urbe monuisse, quæ tempore persequutionis, civib. optione data, ut si quis à christianismo ad paganismum (vitæ redimendæ gratia) transire paratus esset, portis apertis: egrederetur: quod omnes pro Christi nomine mallent mori: incensa ab hostili exercitu, holocaustum Christi facta est: delectatum senem: quem sive velit Deus, cum Jesaia videre cladem hostium: sive velit cum Augustino, paulo antè decedere, quàm Hippona ipsa potiantur hostes, Spiritus Sanctus abundè consolabitur.

Sed cur querimur de hostib. qui vi et dolis nos adoriuntur: ne deploramus hostes domesticos, Atheos, mamonæ aut ventris cultores qui Ecclesias & Respub. nostras in multò maximum discrimen adducunt?

D. Piscatori omne bonum ex animo precor. Sed si habet persuasum, id: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris: cur Bezæ, mihi, Grasseo et alijs, scholijs suis quibusdam ea affingit, quæ certè non agnoscamus? Sanè non pudet nos veræ & sanæ doctrinæ de justificatione, quam profitemur.

Utinam in locum pij illius D. Textoris, substituat Dns Jesus succedaneum idoneum.

Hodiè nunciatum mihi est, Regem Galliæ in urbem Mediomatricum venisse, quod si ita est, fortassis, non tantum Argentinensib. Tragædus leges dabit. Sed & Monarcharum cupiditates centro & spacio circumscriptæ, eius nos admonent de quo propheta dixit: Maledictus qui confidit in homine. Vicini ~~[illegible]~~ sibi à Rege metuentes, suos in armis esse jubent: in pace leones, in bellorum proœmijs timidi. Benè vale inclyte Dne Comes.

Basileæ 10. Martij

A. clementiæ tuæ reverenter colens

J. Grynæus.

Illustri ac magnanimo Domino Ludowico à Seyn,
Seniori, Comiti Witgensteinio &c. Dn̄o mihi
constanter et sincerè colendo.

B. 23. Martij : 03

